HEINSIUS (Danielus) SYLVARUM LIBRI III (3005 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de celui de l'édition parue à Leyde, en 1617, chez Johannes Maire.

# SYLVARUM LIBER I.

## PROPEMPTICON IANI RUTGERSII, REGII IN SUECIA CONSILIARII,

S1_01

Aeolii fratres, quorum sub numine surgit
pontus, et illaesae decurrunt aequora puppes,
hoc terris servate caput, cui junctus Apollo
aeternusque Helicon dubiis committitur undis,
et patriae sperata salus. Si tota precatur
imploratque suos regina Batavia divos,
et gens indigno Musarum oppressa dolore.
Nam neque sic maesto juvenis divulsus Oresta
Phoceus, neque sic mediis deprensus in umbris
Aegides stupuit, cum victor sidera retro
Alcides peteret, clausoque evaderet orbe,
custodem referens tenebrarum e nocte silenti,
centum ora, et centum torpentem colla catenis ;
ut nunc immenso curarum involvimur aestu
Phoebi sacra cohors. Nec tu tamen ardua coepta,
ingentesque animos pone, et sublimia vota,
spes, et amor patriae, Juvenis, quamquam aequora tanta
undarumque obstent montes, tam saeva minentur
frigora, quamquam Arctos vicino sidere, quamquam
immitis Boreas speratum diligit axem,
et glaciem, et fractos molitur ab aere nimbos.
Nec te detineant lacrimae vultusque paterni,
et fraternus amor, circumfusaeque sorores,
non alii, quos celsus honos e stirpe tuorum
extulit, et nostris affixit gloria rebus,
illustres animas, claraeque ab origine gentis,
quorum humeris quanta est populi fortuna recumbit.
Nec te detineat patriae praesentis imago,
non pulchri aspectus nemorum quos possidet Haga,
Astraeae Venerisque deae gratissima sedes,

Haga voluptatum genitrix, genitrixque laborum ;
totque urbes hinc inde aliae, vel quae tibi lucem
prima dedit, primumque indulsit munera vitae.
Quamquam illam Rex indomito cum flumine Mosa,
et Linga, etgenitor Vahalis circum errat aquarum ;
quamquam olli curas omnis tristesque dolores
diluit, et grato solatur munere Rhenus.
Hoc quodcumque vides, qua caeli ingentia tecta
incubuere solo, terramque amplexus inertem
tot circumflammis diffunditur aureus aether,
quaque impacatum terras praelabitur aequor ;
virtutis spatium est. Hanc metam illustribus ausis
indulsit Natura parens, tum cum aethere ab alto
ignea victurae libavit semina mentis,
aeternosque animos imbelli in corpore clausit.
Si non Aeoliden Ithace, non Thessala Tempe
ardentem Aeaciden, non septem terga minantem
Taurorum Telamoniaden Salaminia rupes,
non antiqua Pylos felicem nectare linguae
Nestora, non dominae Atridas tenuere Mycenae ;
Tu quoque, sit quamvis formosa Batavia mater,
foederibus Regum tantis tot laeta tropaeis ;
ingentem diffunde animum qua sidera currunt,
et patriam metire immensae finibus aethrae.
Tempus erit, cum plenus opum, cum plenus honorum,
irritaque expertus magnarum praemia rerum,
pollutas nullo laudabis crimine Musas,
occultosque lares ; ubi vitae tuta petentem
otia, tranquillo lustrabit lumine virtus.
Seu procul ignavo gaudentem excedere vulgo,
Porticus accipiet, torvo dilecta Catoni,
audacis nutrix animi, constansque laborum,
seu qui Socratico diffundit nomine verum,
ignotus populo sapiens, vicinus Hymetto,
Ilissum trepidantem inter fontisque salubres,
fessum aulae, dulcis sophiae circumdabit umbra.
Saepe etiam Regum curas, et tristia bella,
et quicquid gelido Oceanus sub gurgite volvit
monstrorum ; effusas informi corpore phocas,
et nil balaenis debentem immanibus orcam ;
non infacundo mecum perfusus Iaccho,
Lugduno in media referes : ubi mollia curis
tempora compositis, Musisque indulget Apollo.
Interea causas alii et civilia jura
defendent, patriaeque evolvent litibus urbes,
quae quondam tibi cura fuit. Nunc maxima rerum
majestas et sceptra vocant, nunc purpura nobis
invidet, et Regum non expugnanda voluntas.
I, fatis accede tuis, rebusque futuris,
et laetos admitte deos ; Sueonumque potentum
regnatorem, animi excelsum, fretumque juventa,
et laudum spe, disce sequi : sive horrida castra,
Riphaeas inter glacies septemque triones,
figit, et armatum circumdat frigore Moschum ;
seu spumantis equi sudore undantia colla
assuescit tonitru murorum, et fulmine Mardis ;

seu pacis molitur opus ; Gottoque volente
Arctoas late componit legibus urbes.
His rerum auspiciis tantoque insignis honore,
pone sequens magni exempla et vestigia Diickii,
numquam olim patriam aspicies inglorius Hagam.

## AD REINERIUM BONTIUM AMICORUM SUAVISSIMUM, HOSPITEM SUUM, DISCESSURUS : INVIDIAM PASCI IN VIVOS, MORTUIS PARCERE.

S1_02

Jam ter benignum ver aperit caput,
et ter nivali sidere Jupiter
decussit arbustis honorem,
et viridem foliis juventam ;
ex quo beatis otia ducimus
inscripta Musis, optime Reineri,
et dura curarum perosi, et
carnifices animi dolores.
Saepe innocenti laetitia diem
et non severi munera Liberi
traxisse tecum ; saepe totas
dulcibus eloquiis recordor
junxisse noctes, candidus ingeni,
et si quam amica fata dabunt viam,
nec inclytae pulchraeque laudis,
nec decoris moriturus expers.
Sed livor altis seu comes additus
incumbit ausis, nec timet igneas
tentare victurasque mentes,
dum superest, patiturque cerni
mortale corpus : mox ubi corpori
tardo superstes spiritus, aethera
perrupit, et victrix sepulchri
calcat humum, populosque fama
volat per omnes ; stat procul et premit
os turpe vulgus : nec tumulum petit,
nec tangit aeternos honores,
et cinerem prope consecratum,
favetque rapto. Sic Semeles puer
saevam Lycurgi sustinuit manum,
sic magnus Alcides, supremum
comperit invidiam domari
non ante bustum. Mors rabiem domat,
redditque seris praemia manibus
non ante concessura vivo
gloria, quod dabit interempto.
Hic ordo rerum est. Non ego quem vides,
amice Bonti, dedecus aut pudor
egisse sub tectis iisdem
arguar, aut male notus hospes.
Seu me beatum Socraticae ferent
vixisse chartae, seu tibi credita
Stagira, seu duri Cleanthis
Porticus, et rigidi Catonis ;
seu Diva Golgon quae colit et Paphon,
olim juventae pars melior meae,

transmittet in seros nepotes
innocuum lepidumque nomen,
seu quicquid olim moliar arduum,
Phoebi sacerdos immeritus mori,
nec Taenarum certus profundum
cernere, nec Stygiam paludem.
Non si trecentis invida sibilis
attollat ora imbellis inertia,
quam vertere in se cogit arma
impatiens popularis aurae
laudumque virtus, consilii tenax,
solamque honesti currere semitam
persuasa, nec cessura retro
plebis ad arbitrium volentis.
At tu, suave quo mihi nil magis
gratumque, Phoebi conspicit orbitam,
quem fata disjungunt dolentem
pectore constituas amicum.
Nec auspicati foederis immemor,
ventis amorem trade rapacibus,
quem posteri discent, nec uno
fama loquax celebrabit aevo.
Hac lege, mensam saepe sub ultimam,
cum vina regnant, totaque mens patet,
infunde craterae capaci
dulcis amicitiae liquorem.

AD ERRYCIUM PUTEANUM, HOSPITEM ET INTIMUM AMICORUM.

S1_03

Non sic Oresti fidus astitit suo
Phocaea quem tellus tulit,
cum matris igne vultibusque territus
lassavit ultrices Deas ;
quanta hospitalem postquam inivimus larem
tecum mihi concordia est.
Non si per ignes ire candentes pares,
amice, et ultimum latus
Septentrionis defatigatum minis,
et aspero crudum gelu.
Vel qua vagantem pressit Alcides pedem,
Gadesque terrarum extimae
Ponto cadentes audiunt Phoebi rotas,
ignavus accurram comes.
Nec si leaenae vis resurgat igneae,
capramque conjungat leae,
dapesque nostras ore et unguibus trahant
ditis venenosae striges,
quales paratis astitere ferculis,
profana Phinei cohors,
usquam revellar : sic potentibus deis
sic Delio visum fuit.
Nec si trilinguis Taenarum servet canis,
audacis Alcidae labos,
tecum recusem, Puteane, pallidas
invisere umbrarum domos,

sedesque noctis, impiisque Manibus
inenatabilem Styga.
O et meorum prima pars sodalium,
sacrumque posteris caput.
Non ut tremiscas triste livoris malum,
et saeculi diras aves,
quas imperita tollit indignatio
in proximum caelo genus,
aut inchoatis hactenus laboribus
Musisque subtrahas manum ;
sed ut superbus inter ignavos eas,
adoreaque nobilis
ipsoque laudis gloriaeque lumine
imbelle proteras pecus,
qualis ministra fulminatoris Dei
cum credidit caelo caput,
in altiora fertur, obstrepentium
secura, quas tellus habet,
nubesque penna scindit, et flammam Jovis
contra intueri nil pavet.
Vel ut cruentis per jocum vibicibus,
dualis Lycambeus gener,
premas inertes ; sive pungendo lubet,
seu forte caesim mavoles,
non parcere ullis certus invidentibus ;
virtute sat potens tua.
Seu te Menippi seu Bionei juvant
non inverecundi sales,
nihil dature longa quod mergat dies
aut impotens oblivio ;
ipso furore major allatrantium.
Ut saeva tigris aut aper
abit molossos inter, et pedem struit,
dentis relicturus notam.

AD GILBERTUM IACCHAEUM , PHILOSOPHIAE PROFESSOREM,
CUM SUPREMUM IN MEDICINA GRADUM CONSECUTURUS ESSET.

S1_04

Qualem per aestuantis Africae sinum,
insana quem torret dies,
pugnae lubido vel dapis crudae rapit
interritae prolem leae ;
seu mugientes inter astitit greges,
taurumque luctantem premit,
oviliumve pervagator omnium,
fert molle balantum pecus.
Talem sciendi fervor atque audax calor
mentem penetravit tuam,
amice, magnis praedicande vatibus,
nec unius Phoebi decus.
O cui parentis sacra Naturae parum est,
causasque novisse et modos,
quas caeca Phoebe Nereo reddat vices,
cum sponte cedentes aquae
fugere litus quotquot occidunt dies,

rursusque tellurem premunt ;
gens unde tantas Aeoli tollat minas,
terram quis impellat tremor,
quae civitatem cura firmet et status,
invicta quem virtus beet ;
ni nunc per herbas et medendi munia
Machaonis curae trahant ;
necemque sistere et moram lintri dare
mortale quae tollit genus,
pulcher cupido invitet et laudum sitis.
O omnia ausurum caput,
quaecumque summo Pelii in cacumine
dictasse Chironem ferunt
postquam impotentis spiritus Achillei
matri redonasset suae,
Trojae dolores Iliisque moenibus
suprema venturos mala ;
Phoebique natum, cum manu retexuit
inexplicabiles colos,
raptumque Diti Virbium terris dedit,
viragini munus Deae.
Quos inter olim stabis, herbarum potens,
suprema gentium salus.
Sic profuturum fama fert Promethea
tentare caelestes domos,
ignemque terris transdere ignaro Jove,
nostris quod accedat bonis.
Ni mille pestes, mille morborum agmina
diram secuta sint manum,
febrisque multa, quaeque divinam lues
partem venenorum trahit.
Quas ire contra nec pedem retro dare
gentis tuae memor para.
Non te tacebit posteris oblivio,
et cuncta qui livor premit.
Non Scotus audax, unico minor Jove,
cum per recedentes viros
effudit agmen ; sanguinisque prodigus
ardore Mavortis furit.
Non summa Thule, quaeque gens Hiberniae
tellure consumpta jacet.
Quorum superbis additus praeconiis
illustre praeluces jubar.

IN CAROLI CLUSII ATREBATIS EXOTICORUM LIBROS SEX PRIORES.

S1_05

Naturae ludentis opus, suspensaque mundi
inter anhelantes diverso e carcere ventos
machina ; quam stellis ardentibus aureus ambit
Jupiter, et vastum Nereus molitur in orbem ;
cui tantum de te licuit ? Quis litore ab omni
tot primum transvexit opes ? Quae caerula puppis,
Titani radios, et jam non ultima Thules
litora, nec nuper positas egressa columnas,
ditibus his primum patriam donavit opimis ?

Scilicet aut caeca sub nocte oppressa vetustas
tota latet, tantumque viris aversus Apollo
defuit, aut soli non nescivere Batavi
quicquid mundus habet gremioque amplexa parenti
Tethys, et ignotis tot circum volvitur undis.
At Natura parens, terrarum et conscia ponti,
sidereos inter tractus atque aethera magnum,
Carole, te vastum quondam circumtulit orbem,
enectum ingenti curru : quem bellua Gandae
traxit, et immanis Matutae e litore serpens,
centum orbes, centumque undosa volumina torquens
arduus, et lentam tarde demissus in alvum.
Astabant torvae facies, incognita cete
Oceano patrique, (et quo te nomine dicam
ignavum pecus ?) et visu deformia phocae
corpora, nec quondam populis sic cognitus Histrix.
Hic fulgentis opes Orientis, et ultima seri
dona recognoscis populi, Famaeque superbis
postibus affigis, spectanda nepotibus olim,
exuvias terrae ingentis, monumentaque mundi
divitis, et longum fama diffundis in aevum.
Accurrunt rapidae puppes, victorque Batavus
aequoris, audaces Neptuno immittit habenas,
stans alta in puppi, Boreaeque immanibus alis
imperat, et longas a tergo dividit undas.
Nec visas populatur opes, miracula rerum,
herbasque plantasque, et quae se tollit arundo,
aemula malorum spatiis aut arboris altae,
transcribitque tibi, nec se cognoscit in illis.
Aequora viderunt alios emergere Corvos,
et Junonis avem : stellasque in litore nauta
horruit, et Quercum mediis invenit in undis.
Salve, magne pater, quem non rationis egentem
pallidus obscuro Phlegethon damnabit Averno,
infamisque Acheron, ignavaque janua leti ;
sed sublimis honos, et solvi nescia virtus,
per varias populorum oras et moenia raptum,
indigetem magno tandem donabit Olympo.
Miratur rerum facies, stupet obvia turba
Europaeque Asiaeque, et pulchro assurgit amori.
Qualis ab Aurorae populis et divitis Hermi,
Indorum spoliis et capto squallidus auro,
Liber ovans, curru ardentem conscendit Olympum,
aeternasque Deum sedes. Berecynthia mater
astitit, et centum summisit ad oscula turres ;
frondoso occurrens gremio, dextramque tetendit
Jupiter, et vastum tonitru perterruit orbem.
Scilicet, et quis me, superi, dum pectora sanguis
pulsat adhuc, ardorque ingens atque indolis altae
conscia mens, nullo curarum obsessa tumultu,
Taprobanes inter saltus aut litus Iavae
sistat, et occultos Naturae admittat in ausus.
Non ego securus metuam quodcumque pericli est,
ingentem Batavo de litore solvere puppim,
votaque Neptuno faciam canoque parenti,
nimbosasque hiemes inter ventosque furentes,

plurima lustrato referam tibi munera mundo ;
pars operis nonnulla tui. Sic Orphea quondam
inclytus in coetu sociorum aspexit Iason,
carminis intentum numeris, aut vela legentem.

## AD CLARISS. VIRUM DOMINICUM BAUDIUM, IN OBITUM UXORIS, IAMBI 'αρχαίζοντες'.

S1_06

Severitatis temperator et joci
venuste Baudi, cujus imbre nectaris
meroque melle scripta perpluit Venus,
et dicta, et omne quicquid est usquam tui ;
non transmarina non Pelasga, sed Quiris,
Remique neptis, ipsave Aeneae parens :
qualisque solis stat videnda Gratiis,
carens amictus, non venustatum tamen ;
peculioque corporis dives sui,
privaque laude ; non potens odoribus
offuciaque, quam magis plebes amat,
quis advocatus non ut expedit Deus,
expectoravit spiritum tibi marem,
nervosque mentis, et libidinem viri ;
dum fata maestus comparis gemis tuae,
quam compotivit Aggeruntis Dis pater ?
Quae nunc oberrat regna per Proserpinae,
sacrosque campos, et Diis gratum nemus ;
dilecta tantum, quantum amabitur brevi
aut Phyllis aut censenda moribus Chloe,
vel si quod usquam myrothecium videt
facetiarum Phoebus aut Diespiter ;
vel Luna mater, sive Lucinam velis,
quae partumeis praesidet puerperis ;
fecundus heros, seminisque Baudii
non invidere certus inde gentibus.
Quae te suavi prole mactabit patrem,
et morsicatim flammeis labellulis
adlusitabit, et columbatim premet
os illud, ipsis ambiendum Gratiis.
Amplexibusque vinnulis venustulis
et delicatis basiationibus,
Catulliana qualis exstitit seges,
dissuaviabit usque : sive cum paras
quid muginari dulce, sive ingratiis.
Hac spe querelas et supercili Chaos
remitte nobis. Nec bimater Euhius
curas edaces exsecratus, et gravem
mentis senectam, desit in partes suas,
praestes choreae, seminarium joci ;
ludi tribunus, Cypridis coagulum,
et dux amoris, et choragus gaudii.
Vergensque primum cymbiis pauxillulis
minutulisque, rem pytissando gere,
carchesiisque litus extremum lege,
dum pectus aegrum vim salutarem fugit,
manumque vitat, et favet doloribus.

Non immodestis non capacibus scyphis,
Hylaeus olim quos amabat et Pholus ;
sed parciore, sed verecundo Deo.
Ut navita olim palmulis radit solum,
cautusque vitat impotentia freta,
dum ponit unda, dumque Jupiter pedem
utrumque poscit. Sive Rheni deligis
suave nectar, sive quod Celtae ferunt.
Ni fors Ibera mavelis vel Cretica,
censor peritus arbiterque non levis,
fugaxque numquam nec relictor agminum,
cum Bacchus et res strenuum poscit virum
sed innocentis gaudii memor tamen,
et obseratae non amicus amphorae,
lamnaeque terris quam Deus recondidit.
Sic flore sensim toxicoque Liberi
et hoc veneno fascinatoris meri,
ceu Marsa abactus Thessalaque naeniae,
inominatus ibit in ventum dolor,
et anxitudo mentis, et molestiae.
Hac lege nostram mancupo tibi fidem,
paratus omne quod moves periculum
subire tecum, sive parcenti manu
stat velitari, seu meracioribus
mentem libido est sauciare ductibus,
curasque et omne quicquid aegrimoniae est
primo pedatu dissipare te paras ;
eliminatus ut struat maeror pedem,
et se relictis migret e praecordiis.
Non inficeti combibonis ut vicem,
quem non Camenae non venustates vident
Xanthique potor intuetur Delius,
uterque Bacchas ante bacchantes eat,
insaniendo : verum, amabilem in modum,
et qualis olim fertur antiqui senis
natasse virtus, Thessalas inter tubas
et civico cruore manantis manus.
Aut Sophronisci comis ut suevit puer,
medulla fandi, blanda Siren et Venus,
nil scire doctus, omnium gnarus tamen,
quem Cliniae propago, quem rorans merum
demit severis, et venustis adstruit.
Censen" quid umbrae fabulaeque imagines,
et fastuosae gens gerat Proserpinae,
quos Cnossii quos Aeaci damnet forum
Minosque diris additus nocentibus,
curare vivos ? An mori virum decet,
et esse luci quam trahis superstitem ?
Trux et severus adsidet furentibus
maestusque semper. Occidit sanguen Jovis,
et tot sub undis volvit ingentis viros
liquor Scamandri, flevit immanem Hectorem
conjunx parensque. Fluctus ut fluctum trahit
lunaeque pergant interire, sic abit
mortale saeclum. Lex venit nascentibus,
necis potiri, cum jubet necessitas,

pausamque vitae primus involvit dies.
Quod si benignus ejulatuum, genas
et ora turpi rore commendes miser,
puerperaeque vel secundus praeficae,
plangore cuncta maestus incendas tuo
lessuque inani, num minus stat atrium
crudele Ditis, et riget ferro domus,
quam triplici cervice pellatrat canis,
damnasque longi Sisyphus moliminis
et insolentis Tantali colit furor ?
Vin' esse temet legis aeternae excipem
tuosque tantum ? Fors et expetit tibi,
functam labore, nunc fruisci gaudio,
laetamque divis interesse coetibus ;
quae mille pestis corpore anclavit suo,
necisque mille. Nec potentior luet
vinci dolentem pressit Alcidae manum,
torosque, et acrem pectoris valentiam,
et discolorem exsorbuit vim sanguinis,
cum triste munus Oenei partu satae
evisceravit bajulum caeli virum.
Sic usque noctu saeviebat et die
qui viscera olli caecus ambedit dolor.
Quo victa saepe, nec potens silentii,
imposque fandi, sed quiritari memor,
festivitatis indolem stitit tuae ;
vagore vitam flebili evitans tibi,
et ominosis ejulationibus.
Quae noxia esse noxa vatibus solet,
bonaeque menti non levem fraudem creat.
Verum ut relabar ad venustates tuas,
orsusque socco nil cothurnatum crepem,
sed qualis olim Davus in scaenam venit
lippum Simonem tangere audax et vafer,
vel quae talento Pythias mungit senem,
cum captat auras et subinde humum fugit ;
nunc compedum solutus et tristis jugi
liber vagaris, quo serenus impetus
et nata magnis indoles mentem trahit,
dotis benignae candidatus et cliens.
Hanc esse quippe natio mortalium
aetati agundae non inutilem autumat ;
et jus fateri est. Ni Trebatius gravis,
consultus aequi, juris antiqui sciens,
dissentientes oggeris sententias.
Haec et tepentis suscitabulum foci,
dapisque blandae praebitrix est et meri,
columna vitae, dulce fulcimen domus.
Hoc institores et propolarum manus
et gens inepta sarcinatores viri,
copaeque avarae, maxumae vatum cruces,
negant negare ; queis, venustis versibus
ineruditam numquam adiveris manum.
Non si trecentis quotquot occidunt dies
puris iambis aut trochaeorum pede,
amice, places lacrimare nescias

inelegantes inverecundas aves.
Sic ante doctas excubant semper fores,
redire certae, dum Moneta fulserit
regina rerum, maxumi proles Jovis,
ne forte Divam despuas eimodi.
Non ut severus Euclionis in modum,
vivas sepulti pertinax nomismatis,
sed laetus usu, nec molestus promere.
Nunc intueri nec pudor nec fas negat,
si quid venustum, si quid inclutum veget,
genasque et ora virginesque pupulas
coram arbitrari, verbaque elegantia
et aestimare si quid in sinu latet ;
sententiamque ferre de tot voltibus,
quot Cypris usquam Cypridisque por videt,
pedemque figere in puellarum choris
festivitatis non peregrinae virum.
Haec esse quidni suspicer nectar tibi,
et lac, et omni dulcius papavere ?
Si nec leaena nec tibi mammam dedit
Hyrcana tigris, nec ferocientibus
Septentrionis intonata filiis
immitis unda pectus eduxit tuum.
Sed blanda mater, et Camenarum chorus,
festivitatis lene momen insitae
et dulce flabrum. Cynthius tristes negat
amare posse, nec favet maerentibus.
Liber severos semovet thyrso viros,
aptus choreis et suavibus jocis.
Putumque nectar lacrimantibus dedit,
fugare curas. Hoc trucidat vim mali,
internecatque si quid in venis latet,
solvitque habenas et guberna pectoris,
cum lene serpit et cerebri fit potens.
Tum mens vagatur, et Jovis tentat domum,
vehitque nubes inter, et vitat solum.
Tum spes amica gliscit. Alma Veritas
tinnire docta quicquid in solum venit,
fidesque regnat. Cornua assumit miser,
abitque turpis in dierectum dolor.
Haec inter arma blanda Liberi patris
humens subinde lingua suaviter seret,
arguta leni rore pellacis Dei,
quem sensit Indus, et minata vim polo
terrae juventus, Rhoecus et torvus Mimas.
Ipsasque voces irrigabimus mero,
umbramque guttis : quae sub ingenti specu
magnae parentis sicca temeti jacet.
Vovebimusque, terra tam levis premat
caput beatum, quam sibi vixit gravis ;
dum dulce caeli lumen hausit et diem
compos doloris usque et aegrimoniae.

# SYLVARUM LIBER II.

## EPITHALAMIUM IN NUPTIAS HUGONIS GROTII VIRI SUMMI, ET LECTISSIMAE MARIAE REIGERSBERGIAE.

S2_01 Viderat armorum vacuas incedere gentes,
et Batavas cessare manus, complexaque Martem
Cypris, et aeternos aspirans vultibus ignes,
hactenus his, inquit, satis est confidere telis ;
quod superest, concede meis. Gens omnis Amorum
risit, et auratas manibus strinxere sagittas.
Cetera gestat humus, medio Cytherea resedit
gramine. Formosus socios Hymenaeus Amores
claudit, et exstinctos paulatim suscitat ignes,
auspicium solemne sui. Nemus arbore multa
surgit, et Haganam gremio complectitur urbem.
Illic sollicitos deponit Curia vultus,
et tristes lacrimas et noxia verba reorum
abripit, et lenes Zephyrus diffundit in auras.
Venerat huc blandis Mariae complexibus haerens
innocuus Vates. Illam trans aequora ponti
Nereidumque domos patriaeque e litore terrae
vexerat, aspirans faciles Cythereia ventos,
in Batavos ; huc fata vocant, huc vellera ducunt
quae triplices nevere manus. Aspexit euntem
pulcher, et e Divum numero praestantior omni,
nec vulgo metuendus Amor. Bisque omnia tela,
bis pharetrae concussit onus, bis singula lustrat,
et patrias percurrit opes. Pars ferrea tota est,
et non dissimilem ferro promittit amorem.
Hinc gemitus tristisque dolor, lacrimaeque sequuntur
semper, et ad surdos dominae convicia postes.
Sunt et odoratis Libani quae caedere silvis
festivus consuevit Amor. Pars ultima tantum
cuspide munitur ; sed quae, si dicere verum
vatibus, et lusus fas est novisse deorum,
crinali non major acu, tamen ossibus ipsis
haeret, et attonitam percurrit, vulnere mentem.
Praeterit has omnes, nec enim tum cura, sagittas,
aut opus esse videt. Geminasque educit ab alto
humentes vatum lacrimis. Has Thracius Orpheus
senserat, incumbens deserto languidus Haemo,
et non oblitos fato transmisit amores.
Senserat has casto juvenis quem perculit igne
asteris ; et si quem taedis felicibus ussit,
aut fama donavit Amor. Pars humida multo est
ambrosiae succo, semperque virentibus herbis,
quas Cyrrhae producit apex. Pars triste venenum

et non innocui praetendit spicula ferri.
Arripit extemplo quae visa est pulchrior harum,
eque oculis acres accendit mollibus ignes
ridentis Mariae : volucremque hoc igne sagittam
imbuit, et totos juveni demittit in artus.
Pertentatque animi latebras. Ille inscius ora,
et risus faciles, nec duram in virgine formam,
diligit, incipiens, et adhuc securus amorum ;
nollet abesse tamen. Batavis discedere certa est
finibus, et rursus patrias defertur in oras.
Aspicit absentem, totusque in imagine formae
vertitur, et ventos animo metitur et undas.
Paulatim gemitus, paulatim vota sequuntur,
et quicquid plebs laesa solet. Mox carmina manant,
et doctae lachrimae : lacrimae de vulnere manant,
victurusque dolor. Sic quondam Cous et Umber,
et si quem Veneri laesum dilexit Apollo,
quisque suas seros lacrimas dimisit in annos.
Ergo omnes Mariae complentur nomine cerae,
felicem tabulae Mariam chartaeque loquuntur.
Coeperat infelix majores volvere curas,
et Tragicos tentare modos : ter pulpita Cypris
fregit, et audaces fluxerunt crinibus hydri,
delapsisque hederis frontem mitissima myrtus
circuit, et Paphiae velarunt tempora vittae.
Ah, quoties maestos ad laeta negotia vultus
transtulit, et caecos celando prodidit ignes,
ardoresque suos turbataque civibus ora,
et gestus quos suasit Amor ! Jam displicet illi
si quae visa fuit reliquis praestantior olim,
et formae subeunt fastidia. Vota relinquunt
finitimas urbes, patriaeque excedit imago
sensibus attonitis. Pelago mens errat, et undae
fluctibus abripitur, propriosque in pectore versat.
Quid faciat ? Duris abiturum curia nodis
detinet, et vinclis mentem gravioribus urget ;
plus dominae promittit humus. Sic Sestus Abydum
traxit, et una duos facies conjunxit amantes,
quos crudelis hiems, quos saevum discidit aequor.
Littera quae tristes domini denuntiet aestus
mittitur, et docto pinguntur carmine curae,
spemque fovet juvenis. Nondum tamen omnibus illa
flectitur obsequiis, et adhuc sine conjuge noctes
et matris praefertur amor. Quid, dura, negare,
aut differre potes quantum tibi contigit uni ?
Illius attonitae sperarunt oscula matres
virginibus cessura suis. Quos sola recusas,
qualibet amplexus emissent dote puellae.
Stet licet haec virtus, Boreas ubi frigore duro
saevit, et humanae nequeunt mitescere mentes ;
accurrent soceri. Soli tibi fata dederunt,
quicquid saeva negant. Utinam, si dura fuisti,
nec formosa fores : poteras contempta videri
quae dilecta noces. Seu te laus aemula tangit
vatibus antiquis, et non delebile fato
et cum Phoebeo diffusum lumine nomen ;

consule quos ortu populos, quos lumine sero
spectat pulchra dies. Seu te facundia major
et plausu populi crescentis copia linguae ;
cedentem toties divinis vocibus Hagam
aspice, cum justis causarum fortis in armis
staret, et adversas premeret sub judice partes.
Accessit sublimis honos, majorque videri
purpura. Quamquam o si teneris succumbere posses
vatibus, et nostras nimium non spernere Musas.
Post rabidas tigres, post tristia corda leonum,
his pudor est non posse capi. Quis cedere nollet
laudibus, et famam venturi admittere saecli ?
Interea tristes augeri pectore curae,
nec se flamma capit. Subit ire, et quaerere ponto
eximios vultus ; tantum praetextus eundi
quaeritur, ut salva stet majestate Cupido.
Hunc quoque pulchra Venus lepido concedit amanti.
Ergo iter insistit, finisque Valacria voti
et tellus petitur Neptunia. Solus eunti
jungitur et vatis sequitur vestigia vates.
Sic quondam dubius fraternis ignibus auctor
astitit Amphion : sic vidit lumina Phoebes.
Et fratri exhibuit geminam Leucippida Pollux.
Ipsa manu faustam genitrix Aeneia puppim
appulit, et laeti senserunt omnia nautae.
Totaque tum primum terris praelata Batavis
risit, et excelsas erexit Veria turres.
At vero, ut vidit speratae lumina Divae,
speratos orbes oculorum et virginis ora,
haesit, et infelix incerto palluit aestu ;
haec illi vox prima fuit ; gemitusque subinde
ad partes venere suas. Haec semper amanti
sufficit, et primas peragit facundia causas.
Dum sensim dubiae sederunt pectoris undae,
tempestasque animi caecusque evanuit horror.
Tum pariter vires mens ingeniosa Venusque,
commisere suas. Tum, qualis ubique videri
quantaque consuevit facundae gloria linguae,
adfuit, et partes sese diffudit in omnes.
Non tot sollicitum diversos Protea vultus
assumpsisse ferunt, cum tristibus undique vinclis
cingeret Atrides, arctoque includeret orbe.
Nec toties alios admittunt alba colores
vellera, cum nondum Tyrium duxere venenum.
Paulatim dat victa manum, metuitque videri
ferrea, nec veterum patitur meminisse laborum.
Quis tanto Batavas damnavit judice formas ?
Cur vilis tibi terra tua est ? Cur postera discet
exemplo peccare tuo, quaeretque juventus,
fluctibus et saevis aliquid debere procellis,
nec tuto flagrare domi ? Saltem addite Divi
annorum seriem, causasque involvite nocte ;
aut si nulla latent discrimina, me quoque fata
adjungant comitem : ne sim prudentior ullo
quem Valachris blando Nympha inflammavit amore
et noctu faciles solatur pectoris aestus.

Felices animae ! Vobis nunc Hesperus Oetam
deserit, et faustam promittunt sidera noctem.
Felices animae, toti jam destinat orbi
Grotiadem Natura suum. Stat praescia rerum
et teneras expassa manus, quae tollat alumnum,
obvia Calliope. Quicquid ridebitur illi
et primum male facundo tentabitur ore,
carmen erit. Donec patrias assurgat in artes,
et justa Batavum moderetur voce Senatum.

## EPITHALAMIUM IN NUPTIAS IOANNIS MILANDRI, DOMINI DE POEDEROIJE, PRINCIPI A SECRETIS, ET NOBILISSIMAE MARIAE HOENLOIAE.

S2_02

Jam prope bis denae fugerunt ordine messes,
et toties successit hiems, cum praemia laudum
victrices populi viderunt cingere laurus
Nassovios postes. Scit corniger omnia Rhenus.
Et saepe Hesperio mutatus sanguine Mosa.
Ipsa Venus bello gravidas contingere sedes
horruit, ac quamvis Getico dilecta marito,
fugit ; et imbellis (quid enim qui mallet Iberi
vulnera mille pati, levibus succumberet armis ? )
A foribus concessit Amor. Cum Principe vivit
cetera turba suo, furtimque elabitur aetas
omnibus, et primi pereunt victoribus anni.
Viderat hoc quondam, domuique ut parceret uni
Jupiter, horrorem Batavis secedere terris
jusserat armorum, vacuum Cythereia regnum
occupat. Insurgunt levibus certamina telis,
nil metuenda viris, desuetaque corda puellis
paulatim incipiunt mitescere. Primus in hostem
incidit, arcanos cui fas cognoscere sensus
principis, et vulnus Porroius abstulit heros.
Prima domi vidit, vacuum clangore tubarum
castrorumque metu, tuto cessare cubili,
primaque cessantem flammis immiscuit aestas.
Ille quidem nollet, primosque ulciscitur ignes,
et pudet aetatis memorem servire senectam.
Nec videt esse Deam : dum captus imagine tali
fata minor sequitur, meliusque indulget amori,
quem plus posse videt. Non tales Cynthia vultus
nubibus exeruit, cum plenis lucida fulget
cornibus, et totos mortalibus imputat ignes.
Nil sic Phidiacae, nil tantum Mentoris olim
formavere manus, nec Coae viribus artis
talis ab aequoribus patriisque emersit ab undis
sensim nata Venus ; quamvis spumae undique circum
vincere nescirent niveos candoribus artus.
Vix talis Phrygio sub judice constitit olim
cum meruit vicisse Deas ; vix Tyndaris olim
talibus evertit Priamum pulcherrima causis.
Hanc stupet infelix, trahiturque, omnemque rigorem
exuit antiquum, veluti magnetica ferrum
ducere gemma solet. Quamvis illi omnia cedant,

cogitur ire tamen, dominasque agnoscere vires
eminus, et certas naturae admittere leges.
Sic quoties oculos, quoties formosa puellae
ora videt, quotiesque ebori certantia colla
aut nivibus puris, quas necdum lumine primo
Cynthius, aut solvit delapsus nubibus imber,
vel duri laesere pedes, quotiesque genarum
purpureos, sed enim quos candor diluit, ignes
aspicit infelix, pudor est menimisse senectae,
paulatimque suos mens obliviscitur annos.
Aesona sic fama est, sic fama est Aesona quondam,
post virides herbas et non innoxia verba,
aetatem nescisse suam ; plus virginis ora
et teneri mores, et vis intacta juventae,
quam Medea valet. Minus est quod carmina possunt
quamvis attonitae deducant cornua Lunae,
quam formae divinus honos. His utitur herbis,
et puer est lascivus Amor : post saecula mille
nondum illi teneros laeserunt saecula vultus,
aut vitae crudelis hiems. Jungantur eodem
tot menses pariterque dies, tot lustra, tot anni,
quot nec fatidicas fama est duxisse Sibyllas,
et totum Pylii vincatur saepius aevum ;
quem dominae vultus, quem tangere lumina possunt,
jam primaevus erit. Redeunt animusque vigorque
cum Veneris nato, collapsaque defluit aetas.
Saepe illum Dryades, saepe illum in gramine Nymphae,
formosae Dryades, formosae in gramine Nymphae,
viderunt, medios cum Sol accenderet aestus,
flectere cornipedem, brevibusque includere gyris,
admirante Dea. Stupuit vicina juventus
displicuitque sibi : spatio seu saepius uno
stringeret indignantem animo, viresque superbas
frangeret, aut cursu volucres praeverteret auras.
Illa animum viresque dabat, totamque juventam,
eminus et priscos oculis afflabat honores
aspectuque suo. Non sic Tritonia virgo
viribus exhaustum senio subduxit Ulyssem,
nec sic, cum varii redierunt tempora veris,
et primum Zephyrus fecundas elicit herbas
exuit antiquos serpens Epidaurius annos.
Felices oculi, seu vos fatale venenum
spargitis, et nostro mansuras corde sagittas,
seu vobis superi, seu vobis sidera vires
asscripsere suas, totusque indulsit Olympus
sufficere humanae spatiumque extendere vitae,
audiat ipsa licet Lachesis duraeque sorores,
vobis cuncta licent. Nec nos contendere contra
sufficit, et sacras obnixi ponimus aras.
Vos modo, sed faciles mitesque, accendite curas,
nec Dea dura veni. Si semper parcere guaudet
supplicibus Diana suis, si Gorgonis ora
dirigit in sontes, visosque ulciscitur hasta
Cecropis, et solos invadit Delius hostes.
Te quoque donavit geminis natura sagittis,
et puer armavit gemino Cythereius igni.

Sortem disce tuam ; nullum est sine cuspide numen.
Nec tibi succubuit quisquam de gente pudenda,
indignusve tuis submittit pectora telis.
Sed cui consilii, cui vis non ultima fandi,
Nassovios inter titulum sibi vindicat actus.
Cetera quid referam non aspernanda Deorum
munera ? Quid longo fulgentes ordine gazas,
et quicquid sapienter ames ? Errore sub illo
volvitur, et per te volvatur plurimus orbis.
Tu quoque pauperiem, virgo, laudare memento,
et specta patienter opes. Non vilius aurum est,
quamvis Socraticae conentur plurima chartae.
Stat pretio dos ipsa suo, nil indiga laudum,
auctorem complexa Deum, qui tempora nutu
dirigit, et totum regno complectitur orbem.
Ah quoties saevos percussit fulmine postes,
nec clausae cessere fores, cum limina centum,
et duri vectes, multusque in limine custos,
et circum Danaen servaret ahenea turris.
Non alias toto tam dira tonitrua caelo
in terras vibrasse ferunt ; saepe aethere puro,
et nondum emerito fulserunt sidera Phoebo,
maerorem testata Dei ; saepe ordine verso
nondum elapsa suos flexerunt sidera cursus.
Dum sapiens blandis infusus virginis ulnis,
pro Jove munus erat, pretiumque indutus amoris,
paulatim rutilo descendit plurimus auro.
Tu quoque pande sinus, nec te fecundior illo
terreat, et fulvus nequicquam depluat imber.
Huic niveos vultus castumque oppone pudorem ;
plus in dote tua est. Nec te maturior aetas
et quae purpureis albescunt tempora canis,
tam moveant, quam certus amor. Sic nata Saloni,
et facie praestans et primis nubilis annis,
in gremium jacuit longaevi effusa Catonis,
et patriae sacros gavisa est tangere vultus,
sic Venus Anchisen teneris dum condidit ulnis,
edidit Aenean ; talique ab origine Roma,
et rerum domini primum fluxere Latini.
Talibus Egerie quondam dictavit in ulnis,
quod jus cumque foret ; nec pulchram incumbere divam
canitie piguit, nec longos horruit annos.
Ipsa parens frugum Cretaeae in vallibus Idae
Iasiona suum, viridi quem foverat aevo,
nunc quoque semper amat ; postquam illum serior aetas
attigit, et sparsi nivibus cessere capilli.
Nunc quoque Tithoni lepidae conjuncta senectae
Memnonis alma parens, roseo tot saecula vultu
fulget, et ignavas aspectu discutit umbras.
Nec nocet amplexu veterem fovisse maritum,
sed Cephali lascivus amor, sed callida noctis
gaudia, sed blandis juvenem cinxisse lacertis.
Hinc Dea mane rubet, teneroque offusa pudore
prodit, et erectos vix audet tollere vultus.
Sed tibi nec matres Graiorum e finibus ortae,
Romanaeque nurus, vivendi exempla dedere,

aut mores finxere tuos, quos nota libido
et non insolito traxerunt saecula luxu ;
sed patrii ritus, castisque exculta Batavis
una verecundas praescripsit regula leges.
Nec tibi lascivos pudor est non tangere vates,
et quicquid peccare docet. Sors illa virorum est,
eruere annales, scelerumque inquirere formas,
quos aliquid nescire nefas, quos ponere jura
criminibus Natura dedit. Doctrina pudorque
non bene conveniunt. Decet ignorantia castas,
et quantum liceat, tuto nescire fatetur,
quam thalamo sacravit Hymen, cui tangere vittas
legiferae Cereris sacrisque assistere fas est.
Sed neque torpori gelido tristique senectae
virginitas devota tua est, quam pectore toto
uritur infelix. Nec quisquam ardentius illo
optavit tenero primum percussus amore
sidereos ignes toto increbrescere caelo,
et tardum properare diem. Nec gratior ulli
Hesperus auratos formosus protulit ignes,
et tibi nocturnas plus quam sermonibus horas,
et plus quam nimio ducendum est tempora somno.
Quae simul ingratam damnabunt tempora lucem,
ad juvenum descendet opus, totumque maritum
afferet, aut, formosa, tuis desumet ab annis,
namque ubi divino tepefactus membra jacebit
molliter in gremio, circumfususque lacertis
dulcia festivae libabit munera vitae,
eque tuo primum manabit spiritus ore,
spiritus, aethereo quem nectare dia Juventus
imbuit, et casto flagrantem afflaverit igne ;
protenus inverso properabunt stamine fata,
Ad limen reditura suum. Sic volvere jussit
Jupiter, et duras vetuit properare sorores.
Quippe e deliciis, quippe e complexibus illis,
debita Porroiae soboles promittitur arci.

## EPITHALAMIUM IN NUPTIAS HADRIANI MANMAKERI, EQUITIS, ET NOBILISSIMAE MARIAE BERCHEMIAE.

S2_03

Sumpserat insignem vario discrimine cestum
in terras abitura Venus, quem pontus et aether
vere novo, quem sentit humus ; quo tacta repente
parturit, et laeto testatur gaudia vultu,
muneribus formosa suis. Jamque undique Divam
hauserat, et casto gremium pandebat amori
qua ferret formosa pedem ; thalamoque corollas
ipsa suo, mixtas fundebat floribus herbas.
Carmina ne desint (quis enim non carmine gaudet ?)
Nupturam solantur aves. His vatibus illa
jungitur, et caelum tepidis complectitur ulnis.
Straverat et summas Zephyris felicibus undas,
et placidas frenarat aquas ; delapsaque summo
aequore, fedundo Neptunum sparserat igne.
Tertia lux illam patriis insistere regnis

irrita librantem vacuo vestigia ponto
viderat. Egressam Valachrae cepistis arenae,
hospitium praedulce Deae. Non gratior illi
imminet aequoribus praetentaque litora Cypros
porrigit, erranti statio fidissima nautae.
Saepe illic madidos fertur siccare capillos,
saepe illic lascivit Amor, positaque pharetra
cum face, cum jaculis, venientem litoris aestum
aut fugit, aut sequitur fugientem ; instatque vicissim
fluctibus, et motis instantes effugit alis.
Saepe illum delectat ager, sed saepius errat
urbibus in mediis, mediis plerumque vagatur
urbibus, et castos animis inspirat amores.
Plus numquam quod ludat habet. Par gratia morum,
et formae divinus honos simplexque venustas
sponte sua mites ridentibus inserit ignes.
Nec laedi non gaudet amans, nec cedere curae
abnuit, et nutrit festivum pectoris aestum,
applauditque sibi ; dum pulchri indagine vultus
cingitur, et nullos metuit nisi captus amores.
Saepe etiam veniens aliquis de gente Batava
integer, et blandum fato delatus in orbem,
saucius egreditur ; vectusque per aequora, saepe
respicit exstantes ardenti pectore turres.
Majus adhuc restabat opus, quo vertere cestum
et vires Cytherea suas, quo spicula cuncta
optaret lascivus Amor, dignissimus ore
quolibet, et quovis juvenis dignissimus aevo.
Saepe illum facili tentarat vulnere Cypris,
saepe illum graviore manu Cythereius ales,
cum terris aliis aliisque insisteret oris,
oblitus patriae. Frustra tamen aspicit omnes,
frustra aliquas non durus amat (sic fata jubebant).
Occupat ignarum Berchemia ; primus in illa
sistitur infelix, centumque ulciscitur una,
sanguinis antiqui Berchemia ; dives avorum,
et laus ipsa suis. Sed quantum Cynthia Phoebo
cedit, et exstinguit formosos Cynthia vultus
stellarum, cum tota nitet, tantum eminet inter
virgineas pudor et divina modestia dotes.
Illis luminibus Venetae cessere puellae,
et dat Roma manus. Illis componitur orbis,
et pariter cedit. Veneris victoria quanta est,
aut quantum est vicisse duas sub judice, qualem
antra nemusque darent ; qualem procul urbe remotum
obtulit in solis eductum saltibus Ida !
Plus tibi concessum est, Berchemia : vincis ubique,
quamvis in patria, quamvis Nereidas inter ;
illo judicio cunctis praelata puellis,
quo lustravit humum, quo pulchras mille puellas
vidit, et insignes alio sub sidere formas.
Et vinci patiare tamen. Nec cede neganti
magne animi juvenis. Si quid communia vatum
pro te vota valent, quos tu miseratus amantes
immitem dominae suevisti frangere mentem
mollibus officiis et blandae flumine linguae ;

tandem victor eris. Pro te Parnassia rupes,
et Musae faciles et non crudelis Apollo
incipiet facunda loqui ; tecum ibimus omnes,
omnes perpetuis evincti tempora lauris,
Musarum quos tangit amor, quos respicit auctor
carminis. Et supplex formosam affabimur agmen.
Me miserum, cur dura manes, tantumque recusas
quantum optare soles ? Cur nec suspiria, nec te
humentes tangunt lacrimae, nec verba precantis ?
Saxea, si nescis, non ille immitis et asper,
sed flecti facilis, pronusque audire querelas
et luctus miseros, lamentaque tristia vatum.
Nec meruit sordere tibi. Si gloria census
quaeritur, aut urnae non aspernanda potestas ;
ostendunt tibi fata virum, nec dignior illo
quisquam nocte tua est. Sed prosit gratia morum,
sed prosit misero clementia. Qualis amanti
saepe fuit, talem meruit, non durus, amorem.
Ipse egomet, quamvis pelago divisus et undis,
sensi animum, miserande, tuum, luctusque notavi,
et tecum gemui, quamvis ignarus et absens.
Saepe etiam nullo stupuit mens nostra dolore ;
in te causa fuit. Pars nostri vixit in illa,
in qua tu dominam nescires flectere terra.
Nec non et Veneri, nec non et plurima nato
pro te vota tuli ; nec non et carmine duras
flectere tentavi, quo gaudent numina, mentes.
Vicimus, o Superi, laetas Hymenaeus ad aures
fertur, et optata victor statione recepit
gaudia, jam promissa sibi ; sed gaudia tantum
sunt promissa tamen. Quae jam vicina videntur,
percurruntque animum, defixaque sensibus haerent.
Jam tibi suscepit speratam Cynthia noctem
solvere, jam Phoebus quoties caput exerit undis
purpureum, quoties obducit gurgite vultum,
obligat optantem nil jam nisi basia mentem.
Jam tua labuntur tibi tempora, jam tibi grata est
lux, ut quaeque perit. Quaecumque elabitur hora
in lucro, miserande, tibi est. Jam fessus et aegro
proximus, insomnes exerces pectore curas.
Aut si quis miserum lentis sopor irrigat alis,
somnia cernuntur veras imitantia taedas.
Sic thalamis praeludit Hymen. Berchemia vultum
applicat absenti, rursusque elabitur ulnis.
Ah quoties illi niveis formosa lacertis
haeret in amplexu (quid enim non somnia possunt ?)
Basiaque indulget, forte et non basia tantum.
Sed virgo post illa manet. Quae restat ab illa
altera, tam castae non est abitura voluptas,
nec nimium metuenda tamen. Quod luditur illic,
fas et jura sinunt. Sic se Natura tuetur
vindex ipsa sui. Sic post immania saxa
et quae Deucalion non recta sparserat ossa,
humani generis melius revocatur origo.

EPITHALAMIUM IN NUPTIAS CORNELII NICOLAI, SENATORIS,
ET EXIMIAE VIRGINIS CORNELIAE PAULI.

S2_04

Stat procul extremum qua fulcit vertice caelum
tellurisque humeris curvatus consulit Atlas,
Fatorum formosa domus. Qua dicitur olim
Iapetionides terram formasse parentem
sanguinis, et nostros finxisse in pulvere vultus.
Stat matrona Venus, positisque in limine pennis
perpetuo mansurus Amor, vulgusque volantum
arcet, et infidos foribus propellit Amores.
Ante alias, Spes lenta sedet, vultuque sereno
ridet, et instantes a tergo respicit annos.
Ipse puer totum, quacumque it, spargit in orbem
gaudia cum lacrimis et mixtas nectare curas,
et non insolitos, juvenum solacia, luctus,
ipse manu, vitae placidas molitur habenas,
fataque disponit ; nec tristia vulnera semper,
sed diversa movet. Paret, dominumque fatetur
Atropos, et jussae peragunt sua fila sorores.
Quaeque jubet, sequitur triplicis concordia fusi ;
nec simile est quod crescit opus. Pars stamina lenta
tardaque, pars faciles meruit laetosque labores.
Exitus in dubio est. Rapiunt sua vellera quemque
fatalesque oculi, nec durae gloria formae.
Te quoque (nam memini) crudeles volvere curas
septima jam spectat, laesoque elabitur aestas.
Vix tanti Priamus lustrisque obsessa duobus
olim Troja fuit. Quamquam tot pignora divum,
et vix cessurum superis lassaret Achillem.
Quamquam hic nec ferro, nec saevis cominus armis
res geritur. Non tela volant, non plurimus aeris
impetus obsessas ballistave concutit arces.
Sed multo gemitu, sed, queis concedere saxa
quamvis dura queant precibus, maestisque querelis,
dulcia festivae pulsantur moenia Divae.
Pro foribus stant castra viri ; quas nocte serena
obsidet, ac clausos spectat sua vulnera postes,
quos frustra lacrimis soloque oppugnat amore.
Tum quotiens Phoebes nocturnos aspicit ignes,
felicem toties, facilis cui contigit ardor,
Endymiona vocat. Lepido quem victa furore
detinuit, lentoque irrorans membra sopore
condidit, et blandis vix jam dimittit ab ulnis.
Non sic Sicanias accendunt sulfura cautes,
Aetnaque tota calet ; quoties fuligine nubes
fertur in oppositas, proprioque absumitur igne,
et semper pars una perit. Nec talis ut olim,
admittitque manum. Nec qualis inertia vulgi
fervor, et ignavae percurrunt pectora curae,
detinet attonitum, nec festinata libido,
sed divina rapit constantes gratia sensus,
et prius est sanctusque calor. Sic Pyramus olim
arsit, et exarsit juvenem Babylonia virgo.
Nec magis illorum tenuit concordia mentem,
sed magis hos disjunxit amor. Quantusque Batavos

dividit et Valachros Nereus secat aequore fines,
saepius infaustum pelago discrevit amantem.
Mens vicina manet. Totque obsistentibus undis,
sponte sua pulchram dominae defertur in urbem ;
nec Flissinga tenet pariter cum corpore votum,
quamvis grata satis, quamvis hic aera primum
hauserit, et primos vitae libaverit usus,
et dulci imbuerit Musarum nectare mentem.
Haga tenet vinctum divina compede pectus,
Haga tenet vinctum, vinctum non deserit Haga,
Astraeae Venerisque domus. Quam plurima cingit
fagus, et hospitio lenique amplectitur umbra
ardores juvenum, pronasque in vulnera Nymphas.
Plus tamen ante oculos dominae versatur imago,
et tenet astrictos oculis Cornelia sensus,
in partesque rapit varias, perque aequora tanta
(quod genus hoc hominum ? Quaeve haec tam certa potestas ?)
urit, et assiduos absenti suscitat ignes.
Nec modus est, tristesque dies ducuntur et horae.
Nox tamen auget onus. Pariter tempusque locusque
admonet infelicem animum. Sopor exsulat omnis,
et fieri quod possit, adest. Sic carpitur absens
pectora, dum rursus patriam maestosque Penates
deserit, et rerum dominam delabitur Hagam.
Hic videt et metuit. Minus est praesentia formae
quam quod vellet amor. Nec tantum basia prosunt,
quantum sola nocent. Di talem avertite morbum
mentibus, aut nostros saltem miserare labores,
Aeneadum formosa parens. Si cedimus ultro,
et tua percussa testamur numina mente.
Si procul Ausonios inter gentesque tuorum
ipsaque quae vidit collapsae moenia Romae,
te coluit, nunc laesus amans, nec durus et excors
creditur accensas nimium torsisse puellas,
quas faciles, ut semper, habes. Priameius ex quo
debita praelatae tribuit tibi praemia formae,
pastor, et huc illinc Phrygii venere Penates.
Nunc facilis, nunc, Diva, veni. Si pectora curis
non queis ante calent, cum primos duceret annos
laesus, et incertos (quis enim non ?) pasceret ignes ?
Hic caelo plus debet amor. Sic omnia constant,
et vitae assiduus per te, Dea, volvitur ordo,
nec frustra Uranien docti dixere parentes.
Et jam Diva faves, patitur Cornelia vinci,
nec jam dissimulat quas nollet prodere curas,
succumbitque tibi, tandemque admittit amantem.
Ipsa Venus longos animi miserata dolores
tempora praecipitat, volvendaque sidera ducit
ocius, et nullam patitur requiescere noctem.
Ipsa manu fausta teneros componit amantes,
speratamque jubet toties procedere noctem.
Sol abit hinc, illinc Veneris qui praesidet aulae,
legatum quem mittit Amor, cum dulcia bella
nuntiat, et tristes miserorum ulciscitur ignes,
ocius exiliit, formosaque prodidit ora
Hesperus, et laetae praelusit sidere nocti.

Ille avidus rerum, cunctas effundit habenas,
collectumque diu vix jam dispensat amorem,
et septem, felix operum, obliviscitur annos.

## IN NUPTIAS OTHONIS HEURNII IOHAN.F ET IOHANNAE A SWAENSWIJCK. ADOLESCENTIS.

S2_05A

Fabula narratur toto lepidissima caelo
ignorata diu terris, quam sancta vetustas,
quam rerum velata fides, quam mysticus horror
condidit, et nostrum melius servavit in aevum :

S2_05B

Pulchro in gramine ludibundus olim,
multo nectare dum gravis vacatur,
alta constitit ebrius sub ulmo
humani generis faber Prometheus.
Illic dum titubansque caespitansque,
et multo Deus aestuans Lyaeo,
vinosos tamen excutit sopores,
mox tandem vigilans, suave monstrum,
monstrum condidit (o Dei !) venustum,
monstrum cui dedit igneos ocellos,
monstrum cui niveas dedit papillas,
pectus mobile, mobilemque vultum,
quod tum nomine cum careret omni,
ignotum populis deisque, visum est
puellam lepidis vocare Divis.

S2_05C

At tibi mens, Heurni, patrias evolvere chartas
hactenus inconcussa fuit ; tibi fila sororum
fataque jus cessere suum ; superabilis herba
Atropos, ignaro pepigit tibi foedera Dite,
praesentes adhibere manus mortalibus agris,
et festinanti lucem diffindere morti.
Magne animi, magne herbarum, : nisi pectora morbus
nescio quis, gratus nimium nimiumque suavis,
flecteret, et coeptos, juvenum doctissime, cursus
sisteret. Ah medicos in te nil posse labores !
In te artes cecidere tuae ; primusne requiris
infelix quod semper habes ? Succine salubres
auctorem fugere suum ? Quem laesus adibis
quem gens omnis adit ? Primus tibi deficis ipse.
Quid Coi nunc sacra tui, miser, ah, miser ! Aut quid
Pergameus, totam varie diffusus in artem,
tot titulis distinctus, aget ? Vel quicquid in herbis
longaevus desudat Arabs, Arabisque nepotes,
Graiorumque sequens tarde monumenta, Quirini
gens, aevi secura sui. Submisit habenas
inclita disciplina suas, infraque puellam
ars est ipsa tuam : minor est quam femina virtus
quae medicam promittit opem, citraque Dionen
Hippocratis sunt jura tui. Non tollitur herbis,
dilectus sibi morbus, amor ; sed murmure dulci,
sed tenero strepitu, et lepido argutoque susurro.
Sed risuque jocisque, ubi blando foedere juncta

labra, verecundis concurrunt saepe labellis,
cum gelida nox undique humum circumdedit umbra.
Nam lepidum, nam gratum aliquid, blandumque videri
opposuit Natura viris, quo ducimur omnes,
sed sine vi, sed sponte sua. Centrumque puella est :
quaelibet huc tendit gravitas. Hanc circulus aevi,
hanc circum rotat orbis, et alti machina mundi.
Sive quis aurati percurrit lumina caeli,
post Helicen Ursamque et sidera cuncta, duobus
sideribus contentus abit : placidaeque puellae
luminibus geminis Hyadas postponit et Arcton,
Pleiadasque suas ; seu quis fulgentia Martis
arma gerit, laetus tenero concedit Amori ;
et fati sibi causa sui est, dominamque fatetur
qui dominum non novit Amor. Victorque virorum
totque ducum victor, teneris procumbit in ulnis.

S2_05D

Nam gens illa cui nihil negatum est,
illa callida turba, turba nostrae
struens insidias severitati,
praedatrix gravitatis illa nostrae,
quae blandis oculis et ore pulchro,
quae vultu lepido et gradu venusto
armata, imminet incubatque nobis,
Non est ferrea, sed cupit videri.

S2_05E

Ergo animi praedans juvenis, felicibus instans
auspiciis ordire virum, dulcisque juventae
desidiem facilem libertatemque, puellae
jam totam largire tuae. Nox pronuba, taedis
pronuba nox, sacrumque educens Hesperus agmen,
Hesperus auratae Veneris qui praesidet aulae,
emicuit, signumque dedit. Deducitur intro
virgineus pudor, et pavidae mens victa puellae,
non talis reditura suis : Tu, sponse, memento
paulatim majora sequi. Primum oscula blanda,
oscula, sed pressis leviter luctantia labris,
sed placida et sedata sororiaque, oscula casta,
qualia vel Marti genitrix vel Delia Phoebo
vix ausit debere suo. Mox altera rursus,
altera mox rursus, mox altera et altera rursus,
et post plurima plura, et post creberrima, multa !
Halitibusque per os errantibus, inque susurros
linguis compositis linguis leviter commissis.
Deliciis sic sponte suis gradibusque beatus
ad metam procedat amor, dum poscere discat
quicquid nunc invita petit, dum victa pudorem
militia facili, lepide consuescat amari.

S2_05F

Nunc, pulcherrima ter venustaque, audi,
virgo lactea, virgo blanda, virgo
(nam tecum mihi res erit parumper)
nunc solatiolum tuae parentis,
cras solaciolum tui mariti,
cave basia quae vocant mariti,
cave basia quae petunt mariti,

neges ferrea, vel timenda credas.
Haec vocis lepidaeque languidaeque
haec linguae tremulaeque garrulaeque
argutatio, velitatioque,
sunt praeludia : quae suave pectus
leni leniter imbuent calore.
Illam deliciaeque ineptiaeque,
et quae nescio protinus sequentur,
quae frustra tenerae pavent puellae.
Tu felix thalamum pete, et supremum
castis divide basium puellis,
queis par nox similisque restat hora.
Ille, fervidus ille, pectus alto
dudum vulnere tactus, obserata
tundet limina ; quaeque agenda restant
docebit pavidamque pallidamque,
et frustra omnia saeva suspicantem.
Salve, candida, ter venusta, salve,
salve, lactea, ter beata, salve,
salve, dum licet ultimumque virgo :
cras matri similis tuae redibis.

PANEGYRICUS IN CHRONICON EUSEBIANUM*, SIVE TEMPORUM THESAURUM,
A IOSEPHO SCALIGERO EDITUM. (Eusèbe de Césarée, 265-339)

S2_06

Benaci proceres, quos virtus addidit astris,
ejecere suis crudelia numina regnis,
nec patiens res tanta sui, si tempora recte
ponimus, et longos saeclorum evolvimus orbes,
ex quo Romulides Hunnorum terror Alanus,
Veronamque suam pariter, terramque suorum
fixit, et hostilem Venetos deduxit in urbem
exitio majore sui ; nihil arma nec enses,
nec tantum trabeae nec longi insignia regni
quam Fortuna potest. Quae de victoribus una
ludit, et ereptis melius vestitur opimis.
Primus ab invictis toties cum certa tulisset
hostibus, et fausto congressus proelia Marte
Caesar in adversam direxit pectora sortem
et regnum Fortuna tuum, totamque parentum
eripuit seriem poscentibus omnia fatis.
Seu quia naturae spatium transgressus, et aevo
aemulus, angusto subduxit pectora mundo ;
seu nati virtute sui, qui saecula terris
reddit, et antiquum restaurat gentibus aevum,
antiqui vindexque sui. Scit Graia vetustas,
Jupiter aeterno postquam successit olympo,
et terrae profugum Saturnus reddidit aurum,
ex illo Libyas vicinaque Syrtibus arva,
et si quis dubias Nili sibi vindicat undas,
nondum certus adhuc, aut qua manifestus arenas
colligit, et raros excusat fluctibus imbres ;
quaesivisse Deum, veteres quaesistis Athenae,
oraque subjecto leviter distracta Peloro,
Ausoniis exculta viris, quae prisca remisit

nomina, cum Latiis latuit quaesitus in oris.
Quamvis fatidicae toties cecinere Sibylla,
et sacro jacuit toties totiesque sub antro
Egeriae conjux ; quamvis cum consule Roma
viveret, et certum trabeis inscriberet annum.
Quamvis grata suis ventura nepotibus olim
Eusebii donasset opus, qui saecula cuncta
conderet, et totum servaret gentibus orbem,
quas distinguit humus, quas omnis dividit aetas,
ignorata sibi. Nam quamvis saepe vetustas
expugnanda fuit, quamvis tot vulnera membris
duxerit infelix, quoties Theseius heros
pars non una sui, medio quaerendus in agro,
et rursum jungendus erat, cum fraude novercae
occidit, impulsu volucrum distractus equorum,
aut Amphioniis notissima fabula Thebis
infelix juvenis, materni praeda furoris ;
plus tamen est, quem non populi videre nec urbes
invenisse Deum, totque annum saecula retro
reddere sepositum, totoque arcessere caelo.
Stat Meroe, longis qua circumfunditur undis,
accusata tibi, caeloque intenta Canopus,
et frustra resono gavisae Memnone Thebae.
Stat Mithrae gens sacra suo, queriturque, nec aris
nec tot cornipedum caesis reperisse sub extis
depositum, Sol magne, tuum. Stat Graecia mater,
temporaque Alpheus Pisaea vinctus oliva,
victoresque suos et praemia longa suorum
confessus debere tibi, quos caeca vetustas
abstulerat tenebris, totoque exemerat aevo.
Quamvis vana suis indixit tempora fastis,
mendax saepe sibi. Quamvis annosque diesque
Jupiter Eleae decepit pulvere pugnae.
Quae nox, o superi, caecaeve ignavia mentis,
hactenus obsessos hominum caligine sensus
involvit, totumque genus ? Tot saecla virorum
illustresque animas ? Cur numquam Delphica rupes,
aut volucres Dodona tuae, Clariique vetustas
numinis, Ismeni vel qui bacchatur ad undas
responso juvere suo ? Xanthique beatae
explorata fides, siccaeque habitator arenae
et frustra genitor Pellaeo creditus Ammon ?
Cur non ambiguas miserunt numina fortes,
tantaque tam longis jacuit depressa tenebris
relligio ? Nostro, superi cur redditis aevo
quod mundus nescivit adhuc ? Cur saecula cuncta
jam tenebris damnata suis, conceditis uni,
quo nullus virtutis honos, quo tempora desunt
artibus, et solum faciunt nil scire beatum ?
Seu te Triptolemi, seu te Gangetica vexit
bellua, seu totum Cybele circumtulit orbem,
seu quo Bellerophon sapientes prodidit undas
nixus humo ; Phoebusque suas tibi flectere soli
quas male frenarat Phaeton concessit habenas,
Endymioneae seu te dementia Lunae
cepit, et occulto sopitum condidit antro ;

haeremus taciti. Virtutis maxima nostrae
laus angusta tibi est. Stupor est quo magna coluntur
numina. Sic taedas cum mystica jactat Eleusis,
haeret in ambiguo populi pars una videntis,
cunctaque miratur. Juvat ignorantia veri,
et satis est horrere Deum, pietasque pavore
crescit, et ignaris majestas mentibus haeret.
Aut ubi quaesitum toties totiesque repertum
liniger instanti populo demonstrat Osirin,
conditaque insani deducunt orgia mystae ;
plebs credit quod nescit adhuc : stupet inscia turba,
et pietas caecos animis instillat honores.
Quae tibi nam nostrae persolvant praemia Mulae ?
Quae merces sat magna tibi est ? Quae carmina curis
non indigna tuis ? Aliis diuturna petuntur
nomina, venturos inter mansura nepotes,
et longaevus honos. Quicquid tibi reddere possit,
a te tempus habet. Tua mundus saecula currit,
a te principium venientis ducimus aevi :
proles vera Deum. Quicquid mortale tenemus
eripuit natura tibi. Non munus Iacchi,
non Veneris fregit natam ad caelestia mentem,
submisitque tibi pavidus sua tela Cupido,
indignus virtute tua, nisi Jupiter illic
esset, et ignavis cessissent fulmina telis,
quae cessere tibi. Non dulcia monstra puellae,
imbelli dubios flexerunt lumine sensus,
et consanguineae certissima mortis imago
somnus iners, vitae pars ignavissima nostrae.
Sic tibi nec torpor nec desidiosa voluptas
propositum suspendit opus, nullumque vacavit
tempus, et infirmis sapientia crevit ab annis,
dum longum successit iter. Qua caerula Tethys,
qua nondum Oceanus diverso nomine dictus
incipit infusus medias distinguere terras,
et rursus geminis Alcidae finibus exit,
quos natura secat populos, aut dividit aer,
aut fluviis diversa suis interfluit unda,
pectore cuncta tenes : linguae discrimina mille,
et totidem populorum artes, et nomina rerum.
Nec Phoebus veniens, nec cum se condit in undis,
conspexit plus mente tua. Non terminus illi est,
quae male vicinum Borean pars mittit et Austrum ;
nec qui luminibus subtertrahit aera nostris
invidus, et latum finitor dividit axem.
Quod centum populis, quod toti sufficit orbi,
laudis summa tua est. Pereant discrimina rerum :
in te mundus erit. Toties mirabimur unum,
quot Vesper populos, populos quot respicit Eos.
Sic tua cum nostras fugiant praeconia laudes,
accedit tacito furtiva calumnia morsu,
et solus populo qui sis quantusque fatetur
livor iners animi ; majores solvit honores
aemula gens tibi laude mea, quos tollere Phoebus
nescit, et attonitae nequeunt perferre Camenae.
Namque ubi supremo rerum stetit ordine virtus,

divitiis innixa suis, quam tangere nescit,
impetit infelix, et destruit omnia, livor.
Sic ubi cedentem Jovis armiger ire per aethram
e summa conatur humo ; primum agmine denso
infirmae comitantur aves, dum nubila supra
fertur, et adversos eludit fulminis ictus.
Pars infra trepidat, pars sese attollere gestit,
pars conata manet, pars aethere fertur ab alto,
et solis miseras explet clangoribus iras.
Invidia plus laudis habes, quam carmine nostro,
nec major virtute tua es. Quot despicis infra,
tot testes hostesque tui simul aspicis ire
nominis, atque ipsum numero metiris honorem.
Nec tua quae nullis clausa est sapientia metis,
sed virtus generis generisque invaditur ordo,
stirpsque invicta Deum. Sic Guillandina papyrus,
jam toties convicta tibi, Burdonia monstra
eruit e tenebris, regnique eversor aviti
Hadria, de tantis queritur superesse ruinis,
quod miretur adhuc ; et de tot millibus uni
majorum titulos totamque incumbere gentem.
Haud aliter, Divis si fas componere Divos
Veronamque tuam primo deducere caelo,
Jupiter, Idaeis cum primum missus ab oris,
Curetum chorea, versoque ad pectora ferro,
et centum cinctus Corybantibus, aethera summum
scanderet, et primos libraret fervidus ignes ;
Dictaeo genitum Cretes finxere sub antro,
et civem fecere suum ; finxitque sepulchrum
Livor, et ingentem tumulo foedavit Olympum.
Sed neque Saturnus genitor suprema Tonanti
gloria ; nec fortes animi laudesque tuorum
laudibus accessere tuis. Nihil addidit illis
quicquid demit humus, populique ignava libido.
Omnia tollantur saecli monumenta vetusti,
si quid Scaligeris asscribunt tempora Divis,
et quicquid Fortuna dedit, reddatur inerti
invidiae : tantos proavorum tolle triumphos,
et pulchrae pereant virtutis praemia lauri,
regalesque aquilae, priscaeque insignia gentis ;
tanto major eris, quanto plus incipis esse.
Et minimum est in laude tua laudata tuorum
progenies. A te stirpem numeramus avorum,
et quicquid fuit ante, tuum est. Tu sanguinis auctor,
et finis virtutis eris. Tecum occidet illa,
et generis series a te ducetur in omnes,
quos olim Verona tulit. Numquam inclita virtus
auctores proavos et nomina longa suorum
miscet laude sua. Decii fortesque Camilli
majores generis solosque habuere parentes
quos natura dedit (melius sic incipit ordo)
et pariter proavos pariter junxere nepotes
nobilitate sua. Stet quolibet ordine virtus,
incipiet debere sibi quod quisque parenti
imputat, et nullis deducet nomina fastis.
Ipsa sui compos, titulis incumbere nescit

anxia. Sic Peleus minor est collatus Achilli,
nec tantum genitrix nec tantum Jupiter illi
quantum Troja fuit. Minor est Cythereia mater
quam pater Aeneae, medio surreptus ab igne,
et Tusco toties sudantes sanguine campi.
At vos magnanimi reges regumque parentes,
Hunniadae proceres, quos inter maximus armis
Caesar , ovans animi, Phoebo castaeque Minervae
assidet, et lati miratur limen Olympi ;
quem circum ingentes litui fractaeque secures,
et detracta suis dependent hostibus arma ;
hoc gaudete die, qui cunctos vindicat annos
illustri merito, magno gaudete nepote.
Qui modo, non inter galeas ensesque suorum,
in templis Verona tuis, ubi nubibus aequa
Mausolea sui testantur funera regni ;
sed de tot spolium populis, tot gentibus, altum
in mundo suspendit opus : cui nulla nocebunt,
aut nocitura suas evertent tempora leges.

## IN OBITUM RUDOLPHI SNELII MATHEMATICI PROFESSORIS, VETERAQUINATIS BATAVI, CUM PUBLICA ORATIONE A GUILHELMO CODDAEO LINGUAE SACRAE PROFESSORE CELEBRATUS ESSET.

S2_07

Fortunate senex, quem non inimica Minervae
impulit ambitio vanis incumbere curis,
nec populi plausus et inania murmura vulgi
avertere altam Musarum ? Tramite mentem :
quem tranquillus amor veri, duscisque lubido
Virtuti inscriptas sophiaeque evolvere chartas,
detinuit, sanctoque infecit pectus honesto :
Jam tibi formosi panduntur limina coeli
aurataeque fores, quarum percussus amore
in terra peregrinus eras, semperque beato
lustrabas oculo majoris moenia mundi.
Seu te Lugdunum tenuit, domus hospita Musis,
Felix voce tua, semperque assueta doceri
auctores rerum numeros, Samiique renati
argumentum ingens : seu, quae tibi lumina vitae
indulsere olim Veteres, tua gaudia, Nymphae,
Iselides Nymphae : quae leni murmure quondam
nascentem, et castis primae excepere lacertis.
Nunc quoque quae rapti circumdant corpus alumni,
intentae semper choreis, tumulumque volenti
attollunt, patrioque involvunt caespite civem.
Hic quoties doctae donarent otia Divae
et consueta suae differrent munia curas,
excludens populi pariter solisque calores,
ingenti cinctus ramorum atque obsitus umbra,
urbano procul a strepitu, sublimia caeli
tecta pererrabas, perque aurea sidera jam tum
diffusus, pulchros habitabas aetheris ignes.
Qui tibi nunc, divine senex, circum undique terris
erepto, occurrunt pariter, circumque voluti

concentus edunt varios, aeternaque fundunt
murmura, sed sensus non admittentia nostros.
Hic quoque, ne magno tellus concedat Olympo,
aut ingrata tuas Lugdunum atque impia laudes
tristibus involvat tenebris, cogatque sileri ;
ille tuae sidus patriae gentisque Batavae,
Numinis interpres magni, caelique sacerdos,
flumina facundae effundens torrentia linguae,
haud minus ingentes solvit Coddaeus honores.

## EPICEDIUM CERCOPITHECI DEFUNCTI.

S2_08

Ilicet occidimus, nec erant tua munera tanti,
ut nullos possem Scriveri ducere somnos,
ut nox tarda mihi, nocte ipsa tardior iret
importuna dies. Tenebras damnamus inertes,
et tenebrae fiunt invisae tempora lucis.
Sol quoque jam nobis pariter, suavissime, tecum
occidit, et tecum fugerunt sidera noctem.
Tu domini festiva quies, tu sola voluptas,
tu post compositas et portus et otia curas,
tu blandum solamen eras ; tu vespere sero,
tu cum lux aderat, primoque rubebat Eoo
mox ventura dies ; tu cum nox lumina caelo
spargeret, et terris ignavam induceret umbram,
haerebas humeris gremioque, aut pectore nostro.
Quin et adulanti similis, similisque roganti,
languentes si forte torus susceperat artus,
astabas, pariterque optabas ducere somnos.
Hac caelebs mercede fui, nec taedia lecti
sensimus, et nullas vagitu impendimus horas.
Sed tecum Musisque simul, divisimus omne
quod somno licuit positis subducere curis.
Mox ubi formosus tenebras excusserat aether,
ignarus torpere diu, fessusque quietis,
ad faciles iterum gaudebas vertere lusus,
aedibus in mediis domino spectante lacunar
scandere, vel tecto pariter vinclisque solutus,
arboreos saltu solitus transmittere ramos.
Aut corpus tenui libratum fune per auras
mittere, non aliter, quam cum molimine docto
subtilis tremulam deduxit aranea telam ;
jamm proprium decurrit opus, conspectaque longe
decipit, et filo dubium est tollatur an Euro.
Aut cum jam Batavae portum tetigere carinae,
Neptuni de gente aliquis, pernicius aura
fertur in antennas, rursusque relabitur iisdem
funibus, et vento citius consistit in imo.
Saepius incertos edebas corpore motus.
Quales silvigenae Nyseia numina Fauni,
aut exsultantes Satyri, cum corniger Evan
signa movet, servetque aeris tinnitibus aether,
et Naxos saltata Deo. Componere gestus,
et formare modos, agitataque flectere membra
gnarus, et ingratas saliendo avertere curas.

Talibus illecebris si qua est aut gratia doctis
vatibus, et magnos Phoebeia munera possunt
exorare Deos, non tu, dulcissime rerum,
Taenaron, et maesti spectabis limen Averni.
Nec te Cerberei, metuentem incognita quaeque,
terrebunt sonitus, ternaeque in gutture linguae.
Non patrem Pelopis, quamquam tibi mensa placebat,
aspicies epulas semper sperare paratas.
Non prolem Danai, tantum pietatis amator,
aspicies fundo periturae incumbere lymphae.
Non Ixionios, imitari cetera doctus,
spectator repetes, totiesque imitaberis orbes.
Sed mites animas, devotaque pectora quondam
artibus ingenuis, nostrisque ante omnia Musis,
inter odoratos nemorum gelidosque recessus,
et liquidos fontes, aeternaque munera veris,
et semper virides Musarum praemia lauros,
lusibus, et vario rerum oblectamine falles.
Cedet Aretullae volucris Stellaeque columba,
quaeque senis Teii tenues mandata per auras
detulit, et blandos domini transvexit amores.
Discedet toto festivus gramine passer,
cui quondam teneros morienti Cynthia vultus,
luctibus, et pulchros lacrimis corrupit ocellos.
Cedet et Eois Nasoni missus ab oris
psittacus, humanas edoctus tollere voces.
Quamquam illi exsequias volucrum longissimus ordo
iverit, et ruptis nudarit pectora pennis.
Et quem funesto vixisset Papinius ore,
pro Meliore suo gemuit, lenisque Secundus
inseruit nullo perituris tempore chartis.
Cedet et ipse tuus, quamquam facundior illis,
tot lingua mentitur aves, tot murmura voce
Scriveri mutare solet, quot maximus aer
educat, aut totis errant animalia terris.
Haud aliter quondam sinuosi in gurgite ponti
Carpathius juvenis, rerum cui nota potestas,
et caecas reserare Deum per carmina sortes,
fit fera, sit volucris, variamque abjectus in alvum,
sibilat, aut verso mugitus intonat ore,
aut responsuras latratu percutit auras.
Vix quoque se, quamvis meliori sede recepta,
se ferret tibi Maera parem, quamquam aurea notis
addita sideribus, priscum fateatur amorem.
Et quae fallentem reditus agnovit Ulyssem.
Issaque discedes, victuris lusibus Issa
vatis nota tui, quamquam omnibus Issa puellis
blandior, et cinctis lascivior una columbis ;
et numquam gutta positos decepit amictus
stertentis domini, colloque incumbere jussa.
Persensit gemitus, et notae gaudia mentis.
Nec queror exstinctum (quis enim crudelia Divum
vertere jura potest immotaque fata sororum ?)
Si nati morimur, si nec Sarpedona quondam
Jupiter eripuit, tenebrasque inflexit Averni,
totque Deum nati Phrygio cecidere sub hoste :

ereptum Fortuna queror. Sol pronus in undas
Hesperias, toto gaudentem corpore vidit,
intentumque epulis positis, epulisque remotis,
et vix subducta choreas deducere mensa.
Idem mane novo defunctum lumine corpus
vidit, et indigno lacrimas in funere nostras.
Tum quoque, cum Clotho vacuam Lachesisque teneret
jam fato cessante colum, saevasque negaret
haec atque illa manus, media plus morte natantes
attollens oculos, dominum suspexit amice,
bisque "vale" dixit, blandoque bis edidit ore
murmura, quae surdas poterant perrumpere cautes,
et leti dominas, et fis inamabilis Orci.
Tu quoque (sic visum Superis, rigidoque superbae
stant adamante fores, nec votum janitor ullum
crudus et indomitus, Stygias transmittit ad undas,)
extremum extremumque vale, tellusque jacenti
sit lenis capiti, nec dura coerceat umbram.
Quod superest, si non Pario tua marmore surgit,
et domini sublimis humus testatur amorem,
in titulo vives, chartaque exstabit in illa,
marmora quod vincat. Nec te tua nesciet aetas,
nec te posteritas aevo vixisse priorum.

## PROPEMPTICON IN ABITUM FREDERICI SANDII, CUM MAXIMAM IN PATRIA DIGNITATEM CONSECUTUS, TITULI CAUSA GALLIAM PETERET.

S2_09
Si quid adhuc, Divi, superato restat ab hoste
quod ponto liceat, nec jam consumpsimus omne
pro patria votum, cum publica sacra diesque
fecimus, et victos pelagus donavit Iberos
matribus, et timidis pro libertate puellis ;
hoc uno probet esse aliquem, cui cura Batavi
nominis est, nostras qui sustinet aequore terras.
Plus uno ratis ista vehit. Tot vota locorum
et totam dubiis patriam commisimus auris,
et quicquid praestare Deis vel publicus horror,
vel suadet communis amor. Sic Thesea quondam
litore cedentem trepidae vidistis Athenae,
nec tantum nato genitor timuisse putatur,
quam regi gens tota suo. Te non minor annis
exspectat genitor, nec tam felicior illo
quam nati par laude sui : non utilis armis,
sed pacis tranquillus honor ; cui nescia rerum
tempora securas iverunt prima per artes,
donec compositos evexit purpura mores,
et patriam praeferre sibi, jussasque secures
tandem Socraticis decuit praeponere chartis.
Sat felix nimiumque, suo si languida fato
lumina, supremo nati saturasset amore,
et reducis laetos lassasset in oscula vultus,
jam finem visura suum suprema senectus.
Sospite sed quidquid patria rebusque luendum est,
sit totum Fortuna tuum, dum major ab illo

surgat, et antiquis patriae succedat habenis.
Hoc totum, Neptune, tuis speremus ab undis,
et fas sit debere tibi ; si nulla petuntur
vellera, nec primis venti pelagique periclis
auratam mercamur ovem, sed debita laudi
praemia, sed magnae seros virtutis honores,
solamenque Astraea tuum, quae saecula nostra
et desolatas cum linqueret aethere terras,
munera rara quidem sed non indebita, genti
concessit superesse suae, quae fascibus aequis
et sic mansuras frenaret legibus urbes,
invidiam factura Deis, cum pilea sanctae
libertatis apex, et magni censor honoris
annulus, et sacrum digitis inducitur aurum.
Sed pars magna suo titulum praemittit honori,
et nudum modo nomen amat : te prima sedentem
inter honoratos accepit curia patres ;
principiumque tibi quo non majora supersunt,
voti finis erat. Praecessit purpura nomen
quod legum consultus habet. Cum prima petuntur,
jam suprema tenes. Felix Aurelia tanti
muneris, expensi felix. Quem solvis honorem,
accipis, et tanto plus est petiisse quod optat,
quam donasse tibi. Per dura pericula ponti,
per dubios fluctus, et caecas cautibus undas,
invenies, quod quisque dabit. Quid patria nostra
aut tantum Batavi de te meruere Penates,
quos fugis ? An tanti est alienas visere terras,
ne pontum metuas ? Ithacive exempla secuto
pars laudum est errare tibi, magnusque locorum
spectator venies ? Abeas quocumque libebit,
vel Libycos aestus, finesque binominis ultra
fluminis, aut nondum positi discrimina mundi ;
vel quicquid vagus Alcides, vel cornifer Evan,
praemisit Superis longarum errore viarum.
Jam nusquam privatus eris, fortuna sequetur
lugentis patriae. Feriant hanc aequora puppim,
nutabunt patriae diverso litore sedes ;
naufragiumque hoc gentis erit. Dolor ibit in omnes,
et populi sors tota tua est. Non fluctibus umquam
nec tantum Boreae licuit peccare Notoque,
nil tantum commisit hiems. Non maesta Calypso
cum festinantem lacrimans dimisit Ulyssem,
vittaque jactatum gelida suscepit in alga.
Nec cum Cecropidae mediis errastis in undis
in pontoque urbs tota fuit, populusque relictis
moenibus, ingentes pelago commisit Athenas.
Nec tantum Phrygios cum terruit unda penates,
mox Divos, Romane, tuos. Pendemus ab aura,
et levibus ventis, facieque undaeque polique,
quos patriae conjunxit amor. Sin prospera cursus
servent fata suos, et nostro litore sistat
quae puppim tulit aura tuam ; gaudebimus una,
et communis erit quae te fortuna reducet.
Accurrent trepidae populi pars una sorores,
et vicina domus, cognataque turba tuorum,

et si quae superis suspendit forsitan olim
pro te vota Deis, nondum confessa calores
Virgo casta suos. Vel si quae nescia vultus
accurret visura tuos, immixtaque turbae
hauriet occulto vivaces pectore curas,
indulgens miseranda sibi. Sic Pelea quondam
viderat in coetu juvenum pulcherrima Tethys
finibus Aemathiis redeuntem aut Cecropis urbe,
cum primas aleret curas, dubiisque caleret
ignibus, et magnum sic jam sponderet Achillem,
atque aliqua e matrum turba, cui filia longas
unica servat opes, et limine surgit avito,
fallaces metitur aves, atque omnia de te
sperat, et incertis generum fore credit ab astris,
aut levibus parrhis, aut oscinis omine corvi.
Quicquid erit, seu morbus amor, seu caeca voluptas,
seu Superum lex est, et inevitabile fatum,
ne tibi sit tanti steriles deducere lunas,
et male fecundos consumere molliter annos ;
ut numquam pater esse velis. Satis approbat unus
connubium, qui te talem prius edidit orbi ;
et nati virtute sui magis inclita mater,
quam si casta suos duxisset conjugis expers
sed sine prole dies. Aliquid debetur amori ;
et vitae pars una perit. Somnusque jocique
et mentis dominae rapiunt sine fraude puellae,
quod permittit opus. Quisquis sibi vindicat illud
quod superest, sat laudis habet. Cum cuncta dedisti
poscenti patriae, patriae quoque poscitur haeres,
qui post fata tuis quod desit suppleat annis.

# SYLVARUM LIBER III.

## QUI FUNERA COMPLECTITUR.

### MANES SCALIGERI. APOTHEOSIS

S3_01

Est via, quae primum caelo manifesta sereno
pandit iter magnis virtutibus. Omnis in orbem
ardet, et errantes per caelum colligit ignes.
Stant flammae ingentes stellarum, et purior aether
illustres animas, postquam atro e carcere ventum est
accipit, et pulchro venientes lumine cingit.
Illic Aeacides, illic post tristia monstra
libratasque domos caeli, quas maximus Atlas
sustinet, et summo nutantes vertice fulcit,

constitit Alcides, saevaeque oblita novercae
pectora, sideribus mediisque immiscuit astris.
Ante alios longe heroas longeque refulgent
Benaci proceres, quos non incognita virtus
extulit, et durae rursus pressere ruinae,
fortunaeque vices et inexpugnabile fatum.
Sub pedibus fracti fasces, curvaeque secures,
sceptraque nunc inversa jacent, sacrique tiarae,
solamen regni veteris totidemque dolores.
Nec non et regum exuviae, perfossaque centum
arma locis, clypeique immania vulnera passi,
loricaeque hosti detractae in limine pendent.
In medio, quondam pulchro percussus amore,
naturae incumbit gremio sacrisque lacertis
Caesar, et insueti spectat miracula mundi,
purpuream indutus chlamydem, quam divite gemma
ipsa parens rerum multoque illuserat auro.
Illic principia et nascentis semina mundi
aspiceres ferri passim, passimque vagari,
paulatimque alias aliasque assumere formas.
Nec non et variis animalia quaeque figuris
caelo efferre caput, durosque assurgere in armos
corpora taurorum, natosque ad tristia bella
fervere cornipedes, supensaque volvere crura,
et librare pedum alterno vestigia passu.
Illic et volucres scindentes aera pennis,
et totam Oceani vasto cum gurgite gentem,
fecerat alma Deum genitrix. Ille abdita rerum,
et genera et formas, primasque ab origine causas
illis luminibus lustrat, quibus omnia quondam
eruit, et seros vetuit nescire nepotes,
quae caelum irradient flammae, quis sidera pascat
spiritus, et terram mediis infixerit undis.
Infra orbem geminum Nereique undantia regna
insanumque videt Borean, caeloque minantes
Aeolios fratres, cogentesque aera nubes,
et pluvios rores, et gratos frugibus imbres.
Ipsa immota manet nullis obnoxia ventis
heroum sedes, et laeto involvitur igni.
Illuc Juliaden rerum pulcherrima Virtus
duxit, et in tuta pressum statione recepit
invidiae jaculis, et saevae afflatibus hydrae,
quam quondam omnipotens alto submovit Olympo,
septem orbes, septem vibrantem in proelia linguas.
Cetera serpit humi : solum sublime venenum
spargitur, et foedo virtutem invadit hiatu,
cognatasque Deis adimas et pectora tentat.
Ollis fata negant sublimem irrumpere sedem,
ni prius infandam dederint in vincula pestem.
Illam insultantem frustra, frustraque vomentem
Tartareum virus, spinosaque verbera caudae
intentantem oculis, vi contra immobilis heros
fregerat, et certo spirantem eliserat ictu.
Ergo ubi pervenere locum sedemque beatam,
extemplo immensae cesserunt cardine valvae,
et patuit formosa domus, tectoque recepit

magnanimum heroem. Primumque ex ordine mater
ambrosia succo mortales perluit artus,
annorumque domat vires, turpemque senectam
exuit, et leti ignaros aspirat honores.
Haud aliter medii surgentem ex ignibus Oetae
alternos humeros semustaque membra moventem
perruptorem Erebi mactatoremque ferarum
Alciden videre Dei ; juxtaque Juventas
astitit, et laetos humeris injecit amictus.
Accurrunt proceres, antiquae stirpis origo,
assurguntque viro ; totoque ex agmine major
Caesar, in amplexum lacrimis occurrit obortis,
deduxitque manu, solioque excepit avito,
et primo memorat longaevam a sanguine gentem,
tot Divos Verona tuos, Hunnumque ferocem,
fractam animis, totoque ejectum corpore regni,
nec laeto auspicio fundatam Antenoris urbem.
Hic caeli sedet in medio, Phoebumque cadentem,
vel quantus veniens rorantis discutit umbras,
astraque metitur radiis, serumque Booten,
semotamque Helicen, strictumque Orionis ensem.
Nec non est spatia Annorum, Mensesque, Diesque,
temporaque et certis descriptum legibus Aevum,
omnia quae quondam populis obscura per orbem
prodidit, indulgens studio, totamque per aethram
spargit ovantem animam, vastoque immittit Olympo.
Salve ingens caeli decus, et, tua sacra per orbem,
per populos urbesque omnes et regna ferenti,
sis felix ; nostrique memor, procul aspice taetram
invidiae pestem. Quae te, quamquam aetheris alti
invectum sedes, et sidera summa videntem
sub pedibus, sequitur : vanisque exercita curis
nondum divinos patitur requiescere manes.

## IN DEFECTUM LUNAE, QUI SUPREMAM SCALIGERI NOCTEM PRAECESSIT.

S3_02

Quod maesta Phoebe, non ut ante, vultum
indulsit orbi, sed tenebricosis
noctem profundam duplicavit umbris,
cessitque tota destituta luce,
non illa fratri cornibus retusis
submisit ignes ante mutuatos.
Nox illa nostra est. Caesaris propago,
lux prima mundi, vita litterarum
Chaos minatur, nuntiatque noctem.
Qualem nec olim perfidae Thyestis
fecere mensae, cum fugatus ora
avertit ausis palluitque Titan,
diemque solis non dedit Mycenis.
Plus exsecrandum est, quicquid orbe toto
luent tot anni ; posterique pendent,
centumque retro sentient nepotes
ingrata Divis quod meretur aetas.
Cum densa terris nox scientiarum
caliginosas invehet tenebras,

mergetque ritus pristinos et artes,
suoque quicquid imputabat aevo,
cujus serenum non tulere vultum.
Hac nocte maestos deficit jugales
formosa Phoebe. Cras abire Titan
minatur orbe. Barbari sequuntur.

## EPITAPHIUM I.

S3_03

Regius a Brenni deductus sanguine sanguis,
qui dominos rerum tot numerabat avos,
cui nihil indulsit sors, nil natura negavit,
et jure imperii conditor ipse sui,
invidiae scopulus, sed caelo proximus ipsi,
illa Juliades conditur, hospes, humo.
Centum illic proavos et centum pone triumphos,
sceptraque Veronae, sceptrigerosque Deos,
Mastinosque Canesque, et totam ab origine gentem,
et quae praeterea non bene nota latent ;
illic stent Aquilae priscique insignia regni,
et ter Caesareo munere fulta domus :
plus tamen invenies quicquid sibi contulit ipse,
et minimum tantae nobilitatis eget.
Aspice tot linguas, totumque in pectore mundum :
innumeras gentes continet ille locus.
Crede illic Arabas desertaque nomina Poenos,
et crede Armenios Aethiopasque tegi.
Terrarum instar habes : et quam Natura negavit
laudem uni populo, contigit illa viro.

## EPITAPHIUM II.

S3_04

Invidiae domitor, monstrorum interritus, in quo
improbitas vires fregit et ira suas,
tanto animis major, quanto crudelior hostis
verteret in sacrum tela cruenta caput,
Dis genitus, Divis nunc redditus, hic jacet, hospes,
Juliades, quantum claudere terra solet.
Occidit et saevus Trojae populator Achilles,
Hectoreos cineres Ilia clausit humus.
Clausit et Ajacem Rhoetei in litore ponti ;
exuvias ingens Herculis Oeta tulit.
Juliaden tantis aequalem heroibus, aequa
nominibus tantis terra Batava tegit.
Virtutem ne quaere, hospes. Patet orbis uterque.
Non alio virtus clauditur ulla loco.
Caelum animis, orbem heroes virtutibus implent.
Quod superest, tellus quaelibet apta tenet.
Mausolea tegunt priscos insignia reges,
unde illi generis gloria prima venit.
Regibus hoc satis est. Toto jacet altior orbe,
qui propriis totam laudibus implet humum.

### EPITAPHIUM III. TEMPORIS EMENDATORI.

S3_05
Lux illa terrae, cujus ultimi nomen
novere Seres, quem perusta gens Phoebo
Indi loquuntur, cujus impetum livor
adhuc tremiscit, ut leonis exstincti,
nec profuturis eminus petit telis,
semen Deorum, Caesaris sui proles,
jocus protervae ludicrumque Fortunae,
sed major ipso pallidoque livore,
et utriusque victor, hoc jacet busto.
At ne quid aevi saeculique vis possit,
diesque longa deleat viri nomen,
quo majus orbis altiusque nil vidit,
devinxit ipsum Scaliger sibi tempus.

### JOSEPHO SCALIGERO, LINGUARUM PROPE OMNIUM PETITO, TEMPORIS EMENDATORI, ANTIQUAE ASTROLOGIAE ILLUSTRATORI.

S3_06
Solus qui totum discendo exhauserat orbem,
naturae sibi vix sufficientis opus,
omnia conatus pervaserat omnia, proles
Caesaris, et vidit nil superesse sibi.
Jam puero Graii, puero cessere Latini,
dat puero victas Martia Roma manus.
Insequitur Phoebum (tanta est audacia mentis)
et pariter per quas proficit ille vias.
Gens Arabum cedit, cedit gens conscia Nili,
et qua Nilus adhuc dissimulatus abit.
Cedunt Armenii, cedunt Persaeque Syrique,
et si quem medio conspicit orbe dies.
Tendit in occarum, sed postquam cesserat ortus ;
hic quoque quae discat, cetera doctus, habet.
Tempora restabant : vastum complectitur aevum,
et toto major tempore, tempus obit.
Quid superest Natura ? Pudet. Jam exhauserat orbem,
si dederis caelos. Hic quoque mente fuit.

### JOSEPHO SCALIGERO, VIRO SUPRA LAUDEM.

S3_07
Proles regia, nominisque vindex
et sui simul et simul suorum,
qui menses veteres diesque et annos
certo limite finibusque clausit ;
cujus saecula nunc eunt et horae,
et qui tempore profuturus omni
sibi tempora primus obligavit ;
cujus bis duo millies laborum
bis sex Herculeos fremunt labores,
solus omnia, terminusque voti,
qui dum pristina quaeque reddit orbi,
et nondum genitos docet nepotes,

totum laudibus occupavit aevum ;
et ne debita sanguini Deorum
novus sidera permearet hospes,
suis sedibus ordinavit astra,
et caelum meruit, quod ante vidit,
dignus Caesare maximo virorum,
et cum Caesare maximus virorum ;
quem laus amplius haud deceret ulla,
et qui laudibus haud faveret ullis,
major qualibet altiorque laude ;
quaeris, quod sibi praemium relinquat
stupor Scaliger eruditiorum ?
Digno heroibus exitu potitus,
toti concidit invidendus orbi.

## QUERELA.

S3_08

Miselle vates lacrimisque lugende
suspiriisque, quotquot exprimi possunt
ex ore, et imo pectoris penetrali,
adhuc moraris illius sequi manes,
cujus suavi nunc carebis aspectu
et ore semper ? Ah miser ! tibi quales
ivere soles, cum vocatus et gratus
semperque onustus carminum pia mole,
illos Penates laetus hospes intrabas,
virique vultum et ora conspicabare,
quo nil Olympo majus aspicit Titan,
nihil secundum pulchra conspicit Phoebe.
Ibi illa vestra blanda dona Musarum,
blandosque lusus usque et usque poscebat.
Nec tu petenti promere illa nolebas.
At nunc beato separatus amplexu
miser vagaris solus, et gravis luctu
maestos ocellos perpeti rigas imbri,
errasque passim, qualis avio in saltu
privata caro compari gemit turtur,
aut nata matrem sola luget amissam,
nondum jugales passa nata complexus.
Vel quae sub umbra populi sedens maestae
lugubre carmen integrat soror Procnes,
raptosque fetus, quos arator implumes,
absente matre nesciaque, subduxit,
plorat, nec ullum luctibus modum ponit.
Fessusque lacrimis, lacrimis tamen gaudens,
noctem querela ducis, et diem fletu.
At ille toto nunc remotus it mundo,
totisque terris, in virentibus campis,
ubi suavis sibilat tepor venti,
Favoniusque lenis instrepit ramis,
at aura pulchros frigerans parit flores,
et fons per herbas candido strepens lacte
puros lapillos inter, irrigat terram,
lenemque somnum manibus piis suadet,
avesque voce tinnula solum mulcent,

inque arborum trementibus comis vivunt.
At sacra circum lympha Tethyos purae,
defendit imbres et nives pruinosas,
polusque dulci delicatior somno
molles rosarum desuper pluit nimbos,
et liliorum lacteas nives spargit,
sonantque laeto pascua undique plausu ;
silvae cachinnis, antra personant risu,
umbra choreis, vocibusque jucundis.
Ibi illa turba nota posteris saeclis
myrto capillos implicans Dionea
comisque lauri virginis, per herbosos
colles vagatur, et diem joco ducit.
Ibi ille terris notus omnibus noster
et aemulandus vivis omnibus saeclis.
At tu beato separatus amplexu
adhuc moraris illius sequi manes,
cujus suavi nunc carebis aspectu !

## THRENUS.

S3_09

Qualis perpetuo natorum pallida luctu
   et duris Niobe exercita funeribus
stat misera in saxo, cui guttatim undique lympha
   hinc atque hinc maesto depluit e Sipylo,
aut quales nondum oblitae fratrisque suique
   stant lacrimis udae jugiter Eliades,
infelix Phaethusa, et ramis obsita Phoebe,
   et totidem ramis obsita Lampetie,
quas neque grata Ceres, neque curarum exitus omnium
   humida nox blando detinet obsequio,
sed Matuta parens semper, formosaque semper
   inveniunt madidis sidera corticibus ;
tales, Di, lacrimas, talem aspirate dolorem,
   heu misero nimium numina surda mihi.
O pater, o nostrae quondam tutela juventae,
   o anima mihi dilectior atque oculis,
quoi ego consueram tristem lenire dolorem,
   et capitis sacram sistere canitiem !
Tecum deliciae, tecum omnia gaudia nostra
   fracta jacent. Tecum funditus occiderunt
munera cuncta Deum ; nec quae nos cumque juvabant,
   nec mihi jam lux haec, nec mihi grata dies.
Ipsa etiam quae te praeeunte, ah, perditus olim
   dulcia Musarum gaudia contigeram,
haec quoque tecum abiere hinc omnia, ceu vapor olim
   ludibrium ventis spargitur Aeoliis.
Nec mihi blanda placent Musarum gaudia, nec mi
   promere stat maesti delicias animi.
Sed qualis virgo castae conjuncta parenti,
   sedula maternis vortitur in studiis,
quam juxta radiique et viminei calathisci
   arma jacent, serae debita militiae ;
ipsa haeret super incumbens, gratumque laborem
   assiduis usque deproperat digitis.

Tum si mox eadem cara est orbata parente,
   sideraque accendit seque suamque domum.
At fusi calathique jacent procul, heu, deserta,
   et misero pecten volvitur e gremio.
Sic mihi Musarum tecum omnis gloria sordet,
   et penitus nostro diffluit ex animo.

## THYRSIS, ECLOGA BUCOLICA, IN OBITUM EJUSDEM.
AEGON, MNASYLUS.

S3_10 Amissum tristi longaevum funere Thyrsin,
Thyrsin, delicias pastorum et gaudia ruris,
amissum flebant pueri, Mnasylus et Aegon.
Flebant, et lacrimis ingentibus ora rigabant,
flebant et populi, flebant armenta gregesque.
Sed tamen ante alios longe maestissimus Aegon,
saepe illi solitus cum nox obscura capellas
cogeret, et maestos arceret matribus haedos,
saepe suos illi recitare assuetus amores,
et durae fastus Amaryllidis. Ille senectae
oblitus propriae, propriosque oblitus amores,
praebebat facilem pueris cantantibus aurem.
At puer infelix, amisso Thyrside, solus
errabat, mare vicinum vicinaque circum
littora ; vel Rheni spatioso proximus alveo,
crudeles Divos et flecti nescia fata
poscebat Thyrsin. Sed nec crudelia fata
nec Divi ereptum reddebant funere Thyrsin.
Saepe illum immemorem serae decedere nocti
Hesperus invenit lacrimantem, et dura vocantem
sidera nequicquam. Saepe illum invenit eumdem
Lucifer. Errabant solae per devia caprae.
Tum quoque Mnasylum viridi complexus in alga,
talia jactabat nil respondentibus undis.
- Ecce, peregrino redeunt e litore puppes,
et cum nocte pecus, redeunt cum nocte juvenci ;
omnia cum redeant, cessat mea gaudia Thyrsis.
Septima formosos caelo nox extulit ortus,
et toties juga jam bobus detraxit arator,
et matutinos decussit bucula rores ;
Thyrsis abest. Absentis adhuc vestigia litus
exhibet, e frustra quacumque in litore passus
Thyrsidis apparent, hic et vestigia figo,
perque eadem errantem nox occupat, et videt Eos
altera, nec vacuae cessant plangoribus horae.
Interea pecudes nullo pascente, per herbam
vicinas comitantur oves, maestaeque juvencae
noctis in adventum vicinae armenta sequuntur.
Lac quoque, sit quamvis jam formosissimus annus
aret in uberibus ; nec me mulctralia, donum
Thyrsidis extremum, nec quae mulctralia plenis
admovet uberibus, ceu quondam, Thestylis urit,
exstinctique animo languent Amaryllidis ignes.
Carmina jam sordent (nam cui mea carmina cantem ? )
Et mihi discedens tamen haec armenta reliquit.

Et dixit moriens : "Post me pulcherrimus Aegon,
Aegon hos calamos, mortis solacia nostrae,
inflabit, tanto reliquis dilectior Aegon
quanto pulchra suo capra est villosior agno.
Quamvis saepe meos servavit Tityrus haedos,
et mihi saepe suos Mnasylus rettulit ignes.
O dilecte puer, tu nunc cantabis in illo
littore, nec nostras umquam obliviscere Musas.
Ipse etiam tumulo facies solemnia nostro,
ipse apium, ipse hederas, ipse humida lilia carpes
extremamque meis intexes ossibus umbram.
Atque aliquis forsan Lethaeae in gramine ripae
deferet erranti tua carmina, : cum mare Thyrsin
cum Thyrsin scopuli, percussaque saxa sonabunt.
Audiet exstinctus post se sua nomina Thyrsis,
audiet, et priscos animo revocabit amores,
audiet ipse suam laetusque agnoscet avenam.
Nec tibi linguarum contagia, nec mala Codri
jurgia sunt metuenda : petat licet omnia livor.
O dilecte puer, tu nunc in litore pasces
has pariter, pariterque tuas quas ante tenebas.
Nos procul hinc (nec enim non cedunt omnia fatis)
Persephones pascemus oves ; ubi purior aer,
et vivi fontes, et sponte innoxia taxus.
Nec mare litoribus pugnat, nec flumina ripis
diluviem meditantur. Amant et flumina ripas,
et mare tranquillum securam allabitur algam."
Haec Aegon, Aegona suo Mnasylus ab antro
excipit, et tristem solatur carmine curam.
Sidera quae blandos hominum spectatis amores
egressi terris juvenes, quos aethere summo
fixit, et aeterno sacravit Jupiter auro,
vos etiam quondam pars hoc in litore nostri
cantabat Thyrsis. Nunc vobis proximus ipsis
ipse suas caelo vobiscum conspicit agnas.
Et favet, ut quondam, pastoribus, et pia ducit
otia ; nec tristes aspirat ab aethere ventos.
Quaque movet, Zephyri accedunt, imbresque furentes
comprimit et Borean, et agentes nubila Coros.
Forsitan et pascit, ceu quondam pavit in herba,
nubibus in mediis ; et nostro gaudet amore.
Nec Deus Arcadiae numen praesentius illo est,
nec deus Arcadiae certet cum Thyrside jungi.
Thyrsis et infestas exstinxit frugibus herbas,
et segeti gratos defendit sentibus agros,
et lolium infelix, et inertem ejecit avenam.
Horret humus, squallet rapto Parnassia rupes
Thyrside, nec coetus hominum respexit Apollo.
Thyrsis et ignotum pastori repperit annum,
errantemque suo distinxit limite mensem,
aequalesque dies, et priscum reddidit aevum.
Thyrsis et antiquos docuit procedere ritus.
Quo Cereri gratus sua praemia messor in umbra
solveret, ingentem aspiciens securus acervum.
Quo tibi, magna Pales, sacro de sulfure fumum
fecerit, et festum pastor transmiserit ignem,

cum lauro velantur ovilia, castaque laurus
lustrales latices et noxae oblivia versat.
Nunc quoque humo, pueri, saxoque inducite laurum,
Thyrsidis, et purae spargantur frondibus undae.
Undam alii spargent, tumulo lac inferet Aegon ;
lac Aegon, Mnasylus aquas e flumine vivo
hauriet, et saevos arcebit nunc quoque soles.
Non tamen et nobis solacia parva reliquit,
discedensque, meis extremum amplexibus haerens,
pignus habe, dixit ; nec quisquam ex agmine vestro
munera nulla feret. Reddent haec munera vobis
exstinctum T hyrsin. Nec tu monumenta Menalca
despice, quae nobis Riphaei e frigore ponti
misit, et Arctois e montibus ipse Menalcas.
Nec tu pauperiem puer aspernabere nostram,
nec proavos meditare, ingentia nomina, nostros.
Mille greges illis Benaci fluminis undam
libabant ; centum tondebant pascua tauri.
Omnibus errabant ter centum in montibus agnae.
Numquam illis, nunquam teneris lac defuit haedis ;
pars quoque pressa fuit. Saepe haec mihi vespere sero
narrabat genitor, caelo notissimus ipsi
antiquus Corydon. Quem nunc procul altera tellus
detinet, et toto circumfluit amne Garumna.
Omnia fata tulere, et habebunt nos quoque fata.
Talia cantabant pueri ; cantantibus illis
Hesperus extremam veniens abrupit avenam.

## MANES LIPSIANI. IN OBITUM SUMMI VIRI IUSTI LIPSII EPICEDIUM.

S3_11

Felices Grudii, patriae florentis imago
olim nota magis, cum pax dilecta Camenis
viveret, et nullum sentirent saecula ferrum ;
nunc primum invidia magni gaudete, Batavi,
si quid in hoste juvat, vel si victoria curae est,
cedimus, et solo submittimus arma dolore ;
totaque Lugdunum posita convertitur ira,
in sedes ventura tuas. Concedite luctu,
et lacrimis ignoscat Iber. Saepe arma virosque
exuit, et medios pietas secura per hostes
per ferrum sibi fecit iter. Concedite : Lipsi
ibimus inferias, longumque intrabimus agmen,
moenia, quae magnus Batavis conjungit Apollo.
Vox aevi divina tui, cui viribus oris
Arcadis attonitae cesserunt flumina linguae,
blandaque Sirenum miseris vox cognita nautis,
cur istos cineres, cur tanti nominis umbram
tellus una tegit, cum te veniensque cadensque
Phoebus, et hunc totus tumulum sibi vindicet orbis ?
Nos quoque, Lugdunum quos non incognita nutrit,
Musarumque aeternus amor, te judice tantum
despecti querimur, subtractaque munera nobis
ingenii laudisque tuae, quae plurima Leida
vidit, et ignotos patriae libavit honores,
mox damnata tibi ; nam tecum gloria nostrae

substitit, atque alium rursus concessit in orbem.
Non aliter quam cum patiens sudoris Ulysses
Palladis obsessa Danais avertit ab arce
callidus effigiem, vincendaque Pergama vicit.
Tum primum Phrygii sine vi cecidere, sine armis,
et meruit jam Troja capit ; nec victor Achilles,
aut Agamemnoniae tantum potuere Mycenae,
nec volvenda dies. Sic tecum nostra juventus
haesit, et infelix in te conversa pependit.
At saltem cineres potuisses credere nobis,
et manes donare tuos : felicior isses
Elysias valles, sedesque ac regna piorum.
Hic tibi supremum solvisset carmine munus
Juliades, soboles stirpsque incorrupta Deorum,
cui neque par nomen series visura nepotum,
nec gens ulla dedit. Nostris quem Gallia terris
transtulit, infelix, laudumque oblita suarum.
Nos quoque non viles animae quocumque vocamur,
sive excelsa loqui, seu leni currere gyro,
in laudesque exire tuas, facundia Baudi,
olim nota tibi, nunc tanti muneris haeres ;
quin etiam genti nil concessura Latinae
mens Grotii divina mei, tibi nomen et urnam
poneret, et mitem praestaret carmine terram.
Nunc quoque, tot quamvis gladii, tot saeva minentur
tela virum, Mavorsque alio nos claudat in orbe,
ibimus, et nostra tumulum statuemus in urbe,
ibimus, et quamvis mendacem ornabimus urnam,
ibimus, et falsum ponemus carmine nomen.
Scilicet ignoscet serorum turba nepotum,
grataque erit pietas, et non indigna favore.
Atque utinam, qua se tenebris Matuta relictis
exerit, et fesso discedit lumine Titan,
omnibus in terris et toto posset in orbe
servari pars una tui. Nunc Creta Tonantem
vindicat, et solo tegitur Tirynthius Oeta.
Quod si digna fuit gens de tot gentibus una
nobile depositum cinerum servare tuorum,
certe Roma fuit ; quae te collapsa parente
crevit, et antiquas potuit calcare ruinas,
terrarum victrixque sui ; postquam impius urbem
Vandalus, et saevi rapuit dementia Gotthi.
Nam tibi nec Brenni feritas despecta Camillo
expugnanda fuit, Cimbrove oriunda juventus,
servorumve ignava manus ; non compede rupta
Spartacus, et victas Libyam qui transtulit Alpes,
sed longaeva lues, damnataque saecula Divis
omnibus, et toto veniens grassator ab orbe
Barbarus, aeternam juratus tollere gentem,
Aeneaeque Deos. Minus est quod poscit in illa
conditor, et primum meruit qui fascibus annum.
Quin etiam, prisco si quid restabat ab Ilo,
quod nec Troja tulit, Vestae penetrale , focusque
Assaraci, medioque ignis servatus in igne
iverat, et longi serie concesserat aevi.
Hoc quoque (pro fortes Decii, manesque Latini)

turpiter exutis Romanus stabat in armis ;
per te tela gerit, Martique incognita nostro
obsessas aries ballistaque concutit arces.
Ergo jure suam merito translatus in urbem,
Romanam pressisset humum cinis ossaque tanti
funeris, et septem poteras tibi sumere montes,
vel quacumque urbs tota tua est ; sed docta negabat
Porticus, et quisquis rigido metitur honestum,
id manes curare tuos, sanctique Catonis
legibus instaurata domus, quae nomina terrae
nescit, et e toto tumulum non eligit orbe,
sed secura capit. Medio licet aequore Nereus
jactet, et indomitae circumstent undique phocae,
aut nudum patiatur humus. Natura relictos
invenit, atque aliquam praestat morientibus urnam,
vel caelo contenta suo. Dum liber et expers
spiritus, insani transcendat limina mundi.
Hic quoque si quid agis, vel si tibi cura tuorum est,
atque aliquo nostras percurris lumine terras,
imbelles juvenum mentes et inertia rides
pectora. Quos tecum simili contendere laude
et tibi vix tutum scribendi accedere callem
imbellis persuasit amor. Sic Jupiter olim
risit, et e summo Salmonea vidit Olympo,
Elide cogentem nubes, et vana cientem
fulmina, quadrupedum vim cum stimulasset equorum.
Interea, quae terra tuam complectitur umbram,
illic Roma tua est illuc urbs tota Quirini,
et Capitolina descendet Jupiter arce.

## EPIGRAMMA

### EPIGRAMMA I.

S3_12

Cum tristes obitus et magni funera Lipsi
   audiit, et primum credere coepit humus,
tota minax et adhuc civili immersa cruore
   sustinuit gladios terra Batava suos,
utque erat interspersa genas et pulvere foeda,
   flevit. Et inferiis debita dona tulit.
Continuoque suos ad se properare poetas,
   et tumulo maestum scribere jussit opus.
At vos posteritas candori assurgite tanto,
   atque iterum victus cedere discat Iber.
Hoc primum est, saevum gladio quod vincimus hostem.
   Plus est, quod pietas vincere nostra solet.

### EPIGRAMMA II.

S3_13

Jupiter infernas cum mortuus isset ad umbras,
   excepit cineres maxima Creta Dei ;
mox idem patrio cum jam successit Olympo,

jactavit cineres maxima Creta Dei.
Risit, et ex illo nil quicquam credidit orbis,
Cretaque sic dubiam coepit habere fidem.
Tu quoque, quae cineres et docti nomina Lipsi
terra, licet Musis non aliena, tenes,
tu quoque docta cave, ne fias fabula. Tantos
si capit haec homines, et capit illa Deos.

## EPIGRAMMA III.
## DE POSTREMO LIPSII SCRIPTO LOUANIO, AD URBEM EANDEM.

S3_14 Amplius aeterna cum nil restaret in urbe,
Lipsius aeterna quod repararet ope ;
amphitheatralis cum starent moenia circi,
staret et in muro tristis arena suo,
retia mirmillo pavidus vitaret et arma,
et gemini tectis vultibus Andabatae,
jam catapulta suas ballistaque rumperet arces,
vineaque occulte dissimulata foret ;
venit, et ipse sua melius moriturus in urbe,
postremum patriae reddidit auctor opus.
Sic sua, Caystri queis est moriturus in undis,
cantat, et ipsa sibi funera cantat olor.
Scilicet ignoscant ingentis moenia Romae,
et potior Roma terra Brabanta fave ;
haec quoque laus jam tota tua est. Nam nomen ubique,
hic meruit tumulum Lipsius ipse suum.

## AD JOSEPHUM SCALIGERUM, PRIMARIUM SAECULI VIRUM,
## DE EPICEDIO IN I.LIPSIUM AB EO CONSCRIPTO, ET CANDORE EJUSDEM.

S3_15 Regia progenies, quam nobile nomen avorum
et livor, dubium non sinit este Deum,
in quem dispositae concurrunt undique gentes,
quas furor aut rabies, aut suus error agit,
invidia major (quam ni contemnere posses,
virtutis poteras non meminisse tuae)
candida posteritas lacrimas mirabitur illas,
quas tuus in Lipsii funere fudit amor.
Causa fuit dispar, virtus communis utrique,
(si modo quis similem se putat esse tibi.)
Hectora sic quondam conspexit ab aethere Juno,
nec Priamum siccis torva Minerva genis.
Stant intra mortale genus convicia recti,
terraque quos fines hos quoque livor habet.
Invideant homines : solis bene cognita Divis
fert pretium virtus indubitata sui.
Ergo eat infelix, qui destruit ardua, Livor,
et superos aliquid jam sciat esse Deos.
Bis fleat infelix : et te dum tangere nescit,
et se dissimilem dum videt esse tibi.

AD EUNDEM, ET ALTERUM SCIENTARUM VINDICEM ISAACUM CASAUBONUM.

S3_16

Unica quos geminos eduxit Gallia soles,
Belgica queis nuper gloria juncta fuit,
imperium vobis, vobis fortuna duobus
incumbit patriae, sollicitaeque rei,
nec minus et livor. Partem sibi sumat uterque :
hic quoque post Lipsii funera vester erit.
Non habet infelix alios quos tangere possit,
hic sedet, hic totos statque manetque dies.
Crescit, et ut crescat virtutibus haeret in ipsis,
vix quoque sublatus cum pereunte perit.
Impiger Alcides totam cum sustulit aethram,
invidiae pariter triste ferebat onus.
Hoc quoque quam caelum majus fuit. Hinc sua Juno,
hinc gravis Eurystheus difficilisque fuit.
Ille feris populisque et tota major ab hydra
stabat. At invidiae sic quoque sensit onus.
Quid faceret ? Divis juratum transiit amnem,
et Phlegethontis aquas ; hic quoque livor erat.
Quid faceret ? Corpus medios conjecit in ignes,
et sua spectanti tradidit arma viro.
Hinc quoque cum pharetram Poeantius abstulit heres,
cum pharetra junctam sustulit invidiam.

LUSUS AD APICULAS.

S3_17

Mellificae volucres,
quae per purpureas rosas,
violasque amaracumque,
tepidique dona veris
legitis suave nectar,
teneri cives,
et seduli coloni,
et incolae beati
hortorum redolentium,
gens divino
ebria rore ;
agite, o meae volucres, age, gens vaga nemorum,
agite hinc abite cunctae,
et tumulum magni cingite Lipsiadae.
Illic domum laresque
vobis figite, figite.
Mellificae volucres,
quae per purpureas rosas,
violasque amaracumque,
tepidique dona veris
legitis suave nectar,
teneri cives,
et seduli coloni,
et incolae beati
hortorum redolentium,
gens divino
ebria rore ;
agite, o meae volucres, age, gens vaga nemorum,

agite hinc abite cunctae,
et tumulum magni cingite Lipsiadae.
Illic domum laresque
vobis figite, figite.
Illic vestri
copia mellis,
hereditasque fertur ad vos denuo
debita, quam vobis quondam sublegerat ille.
At invidos malosque,
et quem non Venus aurea,
quem non amat Cupido,
quem non amant lepores,
quem non amat venustas,
quem non amat Suada,
illis acutis protenus
figite cuspidibus.
Ut si quis malus impiusque poscat
mel illud roseumque nectar, illas
caeli delicias cibosque Divum,
impio male vellicare morsu ;
protenus undique et undique et undique et undique punctus,
concidat exstincto victima Lipsiadae.

## AD GENIUM IDEAE LIPSIANAE.

S3_18
Pater leporis aurei, novumque mel Deorum,
pincerna nectaris meri, sacerque promiconde,
seu te liquore mystico, Cupidinumque rore,
Venusta Cypris imbuit, tuumque Diva pectus
liquore perpluit suo, vel Evius bimater
thyrso virente perculit, nec usitata jussit
vi numinis raptum sui, sed entheata verba
sensusque limpidissimos brevem rotare in orbem ;
nidore dum te musico tuamque adimus aram,
procul profana gens eat, quae te tuumque nomen
vecors inersque deprimit praepostero favore.
Nam nostra quae nec te, pater, nec se capit, juventus,
tuos adire perfurit reconditos lepores,
exsanguis, aegra, discolor ; cui misella febris
vires negavit masculas et igneum vigorem
orationis floridae, quam sponte natus ardor
et Tulliana perficit lex simplici nitore.
At tu secute neminem prius, sequende nulli,
dispar eras sic omnibus, ne par tibi sit ullus.

## EPIGRAMMATA IN THRASEAM, QUEM IMPERFECTUM EDI VETUIT.

S3_19
Cum suus, et toto jam corpore liber ovansque,
   Elysias staret Lipsius ante domos,
occurrere animae ingentes, quos porticus olim
   vidit et aeternos misit in ora viros :
Zeno pater, torvusque a paupertate Cleanthes,
   et quos sera licet Martia Roma tulit.
Aspicit audacem pro libertate Catonem

tractantem manibus vulnera rupta suis.
Nec procul hinc Paeti, sed tristis et aspera visu,
occurrit facies, dissimilisque sui,
cum laetus libansque Deo, quem liber adibat,
secura Stygias morte petebat aquas.
Horruit, ut vultum Lipsii venientis et ora
vidit, et hos gemitus maestaque verba dedit :
"Quem Nero damnatum voluit, ne viveret umquam,
tu nasci prohibes, et jubet ille mori."

## EJUSDEM MANES DOUSICI.

### AD MANES.

S3_20
Innocui Manes, et magni nominis Umbra,
et quicquid non servat humus, nec subtrahit urna
sedibus aeternis superum, mundoque Deorum ;
quicquid adhuc Dousae superes, seu certa pererras
astra, polumque tuum, qua caelum dividit ingens
circulus, et puro stellarum colligit orbe
errantes heroum animas. Seu liber et expers
corporis, immensi pars es non ultima mundi ;
accipe crudeles gemitus et flebile murmur,
nec vultus averte tuos : si candidus adsto
pectoris, innocuusque animi simplexque sacerdos
Musarum Phoebique, et primis integer annis
privatam merui toties decerpere laurum,
judice te tanto ; quam, si modo fata supersunt,
postibus infigam patriae, tumulumque quotannis
manibus extollam ingentem, et certamina condam.
Hic quoque quicquid ero, Batavorum extrema secutus
fataque fortunasque, et non ignobilis exsul,
vocibus insuescam solemnibus, et tua clamans
nomina, supremos indicam liber honores.

### I. AD ACADEMIAE LUGDUNENSIS MEMBRA.

S3_21
Dulces amici, quos ab extremo sinu
quacumque puram celat aut promit facem
Titan ab undis, praeviaeque puppibus
vultum minores exerunt Atlantides,
excelsa virtus Dousicique nominis
fulgor serenus luce pellexit sua ;
habet, peractum est. Funus ingentis viri
orbis fatetur, consciusque criminis
mundus, Batava pallet et languet die ;
totumque nubes induit caelum suas,
aetherque maesto tristis incumbit solo.
Nec nescit illud, si quis ignotum secat
pinu profundum, duplicesque turbidae
noctis tenebras, nauta percussus pavet ;
Dousamque toto pallidus caelo videt,

erratque in undis. Sancta Lugdunum tacet,
clausitque maestus templa Musarum pavor.
Nondumque luctum percipit tellus suum,
adhuc stupescit. Haga defunctum tenet,
tantumque funus una concludit domus,
multosque fallit. Talis erepto Hercule
feralis Oetae tristis eluxit rogus,
priusque Dixum sensit Alciden polus ;
quam terra raptum. Laudibus toto jacet
divisus orbe. Civitas artus habet,
mundusque Dousam : terminos nomen viri
et sol eosdem, patriam lectus tenent
adhuc recentes. Ibit in cunctos tamen,
gentesque sensim tardus invadet dolor,
et dignus illo. Neminem luget simul
quem novit orbis. Prima nos tangunt mala,
primasque mundo lacrimas Dousae damus
maestasque voces ; ceteros junget dies
quos causa jungit. Longus a tergo meo
orbis sequetur, quaque tellurem premit
dolore tactus Dousico stabit polus.

## II. AD MUSAS LUGDUNENSES.

S3_22 Quis me querulae procul hinc Divae,
quis vobiscum dulcia tollat
Lugdunenses numina Musae ?
Ubi per frondes Zephyrus leni
murmure lapsus, strepitu tristem
vindicat Hagam.
Ubi Dousa meus, procul invisa
liber ab urna, docuit solas
resonare sibi carmina silvas.
Recubansque aliqua tutus in umbra,
litibus aeger, plenusque fori,
procul insana fugit ab urbe.
Lacrimas illic, lacrimas illic,
Lugdunenses lacrimas illic
fundite Musae.
Et cum lacrimis dicite vestris,
quae te nostris rebus ademptum
invida fati sustulit aura,
rex Pieridum, Themidis proles,
optime Dousa ?
Tibi simplicitas, tibi mens recti
conscia, nullis labefacta fuit
sordibus aevi.
Non ambitio caeca futuri,
non promissi purpura fallax,
non e voto peritura suo
vana cupido, mentem dubio
polluit auro. Sed tutus amor,
spesque arta, sui limine tecti
positura modum, numquam vanos
misit in ausus ; placidos inter

secura tenens regna libellos.
Hic modo consul, modo Caesar eras ;
dominumque suum lepido semper
invadebant agmine Musae,
et chartarum justa supellex.
Ergo aut tenero tranquilla dabas
jura Catullo, vel quem pulchris
Cynthia prima cepit ocellis ;
populosque tuos hilari circum
lumine cernens, felix semper
votique tui certus abibas ;
Solus tanta liber in urbe.
Regem, Musae, plangite vestrum :
qui non crinem Perside gemma
post Pellaeum condidit aurum,
qui non cunctas undique solus
quas aurato videt aspectu
maximus aether, possedit opes ;
sed contempsit : melior regni
idemque sui certior auctor.

## III. THRENUS.

S3_23

Qualis deserta pendens e fronde cicada
   aestivi placide tempora solis agit,
et modo cum Zephyro sustollitur hinc atque illinc,
   et leviter motis erigitur foliis,
nunc laeto strepitus concussis leniter alis,
   ebria nocturnis roribus intremuit,
innocuamque una solatur voce senectam,
   deliciae ruris, deliciae domini.
Tum si illam pedibus ignarus forte viator
   conterit, et priscis excutit e laribus,
languet humus, gemit amissam longaevus arator,
   et viduus noto murmure torpet ager.
Sic te, Dousa, tuam solantem carmine gentem,
   improba mors nostris abstulit ex oculis.
At nobis superant tristes lacrimae et singultus,
   et vidua est doctis patria carminibus.

## IV. AD SOLEM.

S3_24

Auriga lucis, ignei poli cursor,
metator aethrae, temperator horarum,
aevi minister, circulator aeterne,
lustrator orbis, dissipator umbrarum,
currus perennis igneaeque quadrigae
frenator ingens, qui diem vehis purum,
rursusque vultum surripis tuum mundo,
et candicantis occulis comae flammam ;
cras e lacertis Tethyos tuae rursus
redibis : at nox occupat meum solem.

## V. AD SIDERA.

S3_25
Dulces alumni noctis, ignei fratres,
parvae cohortes, aurei poli cives,
qui per serenos aetheris vagi campos
molles choreas ducitis levi planta,
cum membra nostra molliter reclinata
victosque sensus occupat sopor lenis ;
quid nunc, ut ante, per domum poli pictam,
et e latebris fornicisque inaurati
puris fenestris, tollitis sacrum vultum ;
abite rursus : non videbitis Dousam.

## VI. THRENUS.

S3_26
Qualis primaeva florens aetate puella
Cypridis haud ullis saucia vulneribus,
sollicitae primos genetrici devovet annos,
castaque dilecto conditur in thalamo,
tum quoties somnus victos expugnat ocellos,
languida materno labitur in gremio,
intendensque suos consueta in colla lacertos,
deficit, et dulci victa sopore jacet.
At matrem subito Parcae nimium crudeles
abreptam tenebris involuere suis.
Illa manet, servatque orbum deserta cubile,
et necdum matrem credit abesse suam ;
sed modo maesta jacet, modo per thalamum nequicquam
candida protendens brachia, deficitur
optato prius amplexu, nec colla genasque
sentit, sed solas corporis exuvias.
Has premit infelix, has toto corpore tangens
anxia mens, tristes solvitur in lacrimas.
Donec sollicitam lento sopor interventu
paulatim dubiis fallit imaginibus,
turbantem somnos, et adhuc in matre jacentem,
dum croceo rursus Lucifer exit equo.
Sic nos, Dousa, tui percussos vulnere fati
attonitus toto pectore jactat amor.
Cunctaque turbantes gemitu, pater, ac languentes
separat a doctis mors tua virginibus.

## VII. AD ECHO DOUSICAM, QUAM IPSE DESCRIPSIT.

S3_27
Proles aeris, ultimaeque vocis
semigarrula semimuta custos,
quae tantum loqueris tacesque jussa,
et sequi potes, et nequis praeire,
vox tantum neque tota, quae quod audis
respondere potes, loquique nescis,
Dousae deliciae jocusque nostri,
et solacia desidis senectae,
docti passere gratior Catulli,
quam blandis numerisque, garrulisque

ciens vocibus entheae Camenae
Haganis animavit in salictis ;
dum semper canit, accipitque semper,
nec quicquam, nisi sit locutus, audit :
quae, Dousa praeeunte, verba summa,
extremasque soles referre voces ;
nil illo praeeunte, nil sonabis.

VIII. AD MUSAS SUAS.

S3_28
Heinsi deliciae jocusque, Musae,
quas plus Dousa suis amabat olim,
non illis oculis, profana Parca
quos jam condidit abstulitque nobis,
sed Musis propriis ; suis Camenis,
Camenis tenerisque lacteisque,
plenis nectare Cyprio favisque,
et super stitibus suo poetae,
quas primis satur ebriusque flammis
Idae dulcibus hausit e labellis ;
vobis inferiasque lacrimasque
solvit Heinsius, Heinsius superstes
et Dousae simul, et suis Camenis.
Actum est ilicet : ilicet valete.
Quis vos jam colet expetetque Musae ?
Quis vos postmodo deperibit umquam,
Heinsi deliciae jocusque, Musae ?

I. IANO DOUSAE FABULARUM IN HISTORIA BATAVICA EXTERMINATORI, ET VERITATIS ASSERTORI.

S3_29
Cum vasta proles imminens Olympo,
centumque freta brachiis juventus,
prostrata caelo, viribusque fractis
dejecta, totam conderet parentem,
fususque longam sustineret Aetnam,
et membra lato spargeret Peloro
ingens Typhoeus ; desides Camenae
dignum triumpho condidere carmen,
victoriaeque magna pars Apollo,
lyram soluto colligebat arcu.
Nos crimen audax matris insolentis,
puerperamque parturire Terram
novo Gigantes vidimus duello.
Dibualdus audax, impotensque Lemus
Arundilique saeva vis minacis,
omnes vel Oto vel pares Mimanti,
impune fastos presserant Batavos.
Hos Dousa, collo cruribusque ruptis,
suis, ut ante, reddidit tenebris.
Ergo Camena perpeti quotannis
adoreaque, musicoque rore,
novaque lauro, cymbiisque sacram
Bacchi liquentis irrigamus urnam.

Uterque victor, hic et hic Gigantum,
uterque mactus Dousa Jupiterque est :
hic fulmine audax, ille veritate.

II. JANO DOUSAE LIBERTATIS VINDICI.

S3_30 Ardua cum saevo tremeret sub milite Leyda,
templaque Musarum sollicitaret Iber,
et pariter ferrum pariterque instaret egestas,
nec fugeret partes illa vel illa suas,
Dousa, tenens dextra calamum scutumque sinistra
constitit, et clausa liber in urbe fuit.
Et, "Manus haec famam patriae, dabit illa salutem,
inquit, et eventum res habuere suum."
Nam modo crudeles animum vertebat in hostes,
et modo victurum concipiebat opus.
Audiit, et Dousae celebrari carmine poscens,
caeruleas Nereus volvere coepit aquas.
Continuo turpis latebras vix invenit hostis,
vix bene qua fugiat mollis Iberus habet.
Prodigii laus, Dousa, tua est, qui namque nec armis,
nec potuit vinci tempore, vicit aquis.

III. EIDEM DE COLUMBIS, QUIBUS IN OBSIDIONE USUS EST.

S3_31 [Carmen Graece scriptum.]

IV. EIDEM DE IISDEM.

S3_32 Perfidus ingentem vesano milite Leidam
cinxerat, et vasto robore, miles Iber.
"Terra, salumque, inquit, mea sunt. Via nulla salutis,
nulla patet puppi semita, nulla viro."
Dousa meus, medio, spe libertatis, in hoste
liber, et invicto pectore tutus erat.
"Ille, polus, dixit, dominum non novit Iberum,
et tua tota mihi, Jupiter, aula vacat.
Hinc quoque fas nobis patriae sperare salutem ;
ille mihi Minos hac fugiendus erit."
Quid patriae non praestat amor ? Qui falleret hostem
Dousa virum nequiit mittere : misit avem.

V. IANO DOUSAE VICTORI.

S3_33 Turpis naenia, praeficaeque questus,
et tristi pretio redempta lingua,
et suspiria, turbidique luctus,
et singultibus impedita verba,
Tyrrhenusque tubae frementis horror,
et quicquid cinerique, funerisque
pompae, muneris imputatur usquam :
"Monemus, procul este". Nemo ponit

sepulchrum tibi, Dousa, sed tropaeum.

## VI. IANO DOUSAE, VIRO BEATISSIMO, VOTUM PRO FELICITATE, AD MANES EJUSDEM.

S3_34 "Felix, qui medio suppositus polo,
fortunae potuit tangere terminum,
qui tamquam proprium conspicit aerem,
et quicquid facies conspicit aeris,
nec sperat cupidus, nec male possidet,
sed securus habet. Sic volucris vaga,
sic piscis medio vivit in aequore.
Nobis sors miseris ultima contigit,
queis sperare licet curaque limites
privatos posuit, quos scelus abstulit.
Non gemmae pretium fingit, et insolens
Rubri divitias amplificat maris.
Non plausum numerat plebis, et ambitum
incertus trepidi sollicitat fori.
Non victi lacrimas vendit, et atrio
importuna locat tempora, nec fores
pulsatae dubiis fascibus intonant.
Sed somnos patitur nox, adimit dies,
et Musae faciles. Colligit otio
quod spargunt alii tempus, et invenit
quae vel solus agat ; sic taciti dies,
et concessa sibi tempora diffluunt."
Sic me, Dousa, tuis manibus additum
fatalis veniens occupet exitus ,
nec vitae saturum, nec timidum mori.

## VII. IANO DOUSAE VENERUM ET CUPIDINUM SACERDOTI.

S3_35 Cum Dousa victus aegro
languesceret dolore,
et membra jam supremo
sopore concidissent
perfusa , qualis olim
flos imbribus, novumve
evertitur papaver,
mites repente venti,
per aerem levesque
Poli feruntur oras,
Favoniusque, blandus
Cupidinum satelles,
et Cypridis viator,
it nuntius ; domumque
et limen obseratae
foresque pulsat aulae,
quas janitor pusillus
semper tenet Cupido ;
qui territus : "Quis, inquit,
has impulit Deorum ?"
Mox pandit, ociusque

admittit, intimumque
deducit in cubile.
Illic misella Cypris,
patentibus labellis,
errantibusque ocellis,
et semihiante dulcem
spirabat ore somnum.
Vix excitata, mollem
deterserat soporem,
cum nuntiantis atra
percussa voce, rursus,
ut ante, semipressum
defecit in lacertum.
Mox convocat senatum,
in curiamque parvos
jubet venire Patres.
Stabat pusilla turba,
et parvoli quirites,
deique pusiones ;
pars ignibus, minutis
armata pars sagittis ;
nec dignitate cuncti
pares, nec ore cuncti.
Hos Spes leves, at illos
circumvolant Timores ;
hos sola Cypris, illos
castae tulere Nymphae.
Qui territus : "Quis, inquit,
has impulit Deorum ?"
Mox pandit, ociusque
admittit, intimumque
deducit in cubile.
Illic misella Cypris,
patentibus labellis,
errantibusque ocellis,
et semihiante dulcem
spirabat ore somnum.
Vix excitata, mollem
deterserat soporem,
cum nuntiantis atra
percussa voce, rursus,
ut ante, semipressum
defecit in lacertum.
Mox convocat senatum,
in curiamque parvos
jubet venire Patres.
Stabat pusilla turba,
et parvoli quirites,
deique pusiones ;
pars ignibus, minutis
armata pars sagittis ;
nec dignitate cuncti
pares, nec ore cuncti.
Hos Spes leves, at illos
circumvolant Timores ;
hos sola Cypris, illos

castae tulere Nymphae.
At pars novo quotannis
repullulant ab ovo ;
quot siderum serenis
nox fulgurat choreis,
apesque purpurantem
circumstrepunt Hymettum.
Tum sic profata Cypris :
"Quis, o Dei, quis, inquit,
hic ocius jugales
frenaverit volucres ?"
Vix dixerat, repente
auriga parvus, ambas
sub aureis jugarat
praesepibus columbas.
His Diva vecta summam
delabitur per aethram
et spiritum cadentis
intercipit poetae.
Mox rursus ad priores
delebitur Penates.
Hic fabricata mille
e liliis rosisque,
amaracoque, pulchrae
stat civitas Dionae.
Quam sacra gens, amantes
circumvolant poetae.
Hic, ebrius novoque
semper madens Lyaeo
Anacreon, perennes
exsultat in choreas.
Tum myrteo bacillo,
tremensque caespitansque,
Cupidines fugaces,
parvumque cogit agmen.
At legibus beatam
regitque judicatque
rempublicam secundus.
Suamque tradit artem,
leges, modumque blandum
et jura basiorum,
vivitque in ore castae
et spiritu Neaerae.
Hunc Dousa conspicatus :
"Quid, o, moramur ? inquit.
Tristes abite curae,
sordesque pallidorum,
et lacrimae reorum."
Sic fatus, Hagiensem
amplectitur poetam :
et nunc uterque pactis
jus dicit in labellis,
et rore delicato,
pascunter osculorum.

## VIII. EIDEM.

S3_36
Rusticus Aeneas, miseram cum fugit Elisam,
suavibusque basiis
humentes Hyadas, nudumque Orionis ensem,
et triste praetulit salum ;
allapsus tumulo, solemnia sacra parenti,
ludosque reddidit suos
cursibus et caestu, ductisque ad pectora tonsis,
et spiculis errantibus.
Nos, melius tibi, Dousa, nihil crudeliter ausi,
nec Cypridis laesae rei,
dulcia solvemus certamina qualia numquam
Alpheus Eleo Jovi.
Concurrent lepidae juvenum, me judice, turmae,
mixtique virginum chori,
inter odoratas myrtos et amoena rosarum.
Tenacibusque brachiis,
colla per undique, labraque hiantia, molliaque ora,
figent suave basium.
Tum qui mollius os sperato admoverit ori ;
amabilis luctae satur,
in gremium dominae laeto clamore redibit,
festa coronatus dape,
perfususque thymoque, et pallidulo narcisso,
nostro sonandus carmine.
Tum pereat, qui me vel non putat esse poetam,
vel judicare nescium.

## IX. EIDEM, DE PURO EJUS IAMBO, EX HIPPONACTEIS PURIS IAMBIS.

S3_37
Iambe pure, purior tenellula protervis
rosillulae papillulis, et Idulae labellis,
puellulaeque simplicis, puellulae venustae,
cui per ora primulum novi vegent rubores,
miroque flore Liberi, trementibusque guttis,
quibus decora luminis parens serenat arva.
Iambe pure, Dousicae medulla sola famae,
tuo lepore saucius stat Heinsius misellus,
vagusque fertur huc et huc, vagusque fertur illuc,
velut stupore mystico repente tacta Maenas,
abit reditque millies, gravi subacta thyrso ;
sibique vulnus intulit, nec impedita sensit.

## X. EPITAPHIUM.

S3_38
Sistas viator, Dousici manes rogant
tempus exiguum, moramque parvam ;
quem terra novit, Troicique pallida
Mater Memnonis, integerque Phoebus,
quique emerentem surripit terra diem.
Non isti, gemitusque tibiaeque
inane murmur, sordidamque naeniam
mendicant cineres, vagumque lessum,

fractique raucos aeneatoris modos ;
  sed totas tibi lacrimas remittunt.
Cui tota luctum destinat tellus suum,
  unius pudor est ciere voce.

## XI. IN HARMONIAM, QUAM PAULO ANTE OBITUM AUDIRE SIBI VISUS EST DOUSA.

S3_39 Improba cum terrae contagia, viribus solutis,
turbidaque humani pelagi freta, naufragumque pontum
tenderet, exuviis positis, meus enatare Dousa,
ingentemque animam, neque sordibus improbisque curis
turpiter affixam, patriae dare destinasset aulae ;
occurrere Dei ; quaeque aethera tinnulo rotatu
sidera percurrunt, celeresque feruntur acta in orbes,
exhibuere simul sua carmina maximo poetae,
quae gelidi nubes animi solet invidere nobis ;
et civem fecere suum. Probat annuitque Olympus,
haerentemque animam circumstrepit, evehitque mentem,
matutae thalamos supra procul, et cubile Lunae ;
asscribitque sibi : nondum licet exuisset atram
corporis antiqui nebulam tamen, efficitque Divum ;
et prius e terris quam pergeret, aetheris Quiritem.

## XII. IN ORATIONEM PETRI BERTII, DIVIS MANIBUS IANI DOUSAE SS.

S3_40 Inclyta Lugdunum, tutelaresque Camenae,
  quae vindicatae turpe conculcant jugum,
auspiciis servata tuis gens, maxime Dousa,
  nondum subacta voce persolvit tibi
inferias tristes. Nec adhuc famulata tyranno
  conclamat umbram sancta Libertas tuam.
Bertius exsolvit quicquid debetur ab urbe,
  tantusque nescit ore privato loqui.
Vix tamen hoc Dousae satis est quod possumus omnes.
  Obstricta tellus sospitatori suo,
plus nequit hoc uno : gratis licet esse, nec ultra.
  Reditque totum munus auctori suo,
quas ferimus Musas, prius hic accepimus illas.
  Quae dantur aliis, Dousa, redduntur tibi.

## NOBILISSIMIS CLARISSIMIS VIRIS, STEPHANO, FRANCISCO, DIDERICO, DOUSIS, PATERNAE VIRTUTIS HAEREDIBUS.

S3_41 Quae pietas, qui sancta fides, quae Manibus illis,
   scribere conantem debilitavit amor ;
accipe, divino stirps non indigna parente,
   nostraque conjungas tristia fata tuis.
Omnibus ex aequo dolor est, qui spectat ad omnes,
   causaque si qua venit pluribus, aequa venit.
Nec magis hic quemquam fas est lugere minusve.
   Sanguinis angusti vincula transit amor.

Quis prior hic ? Nulli pater est qui nascitur orbi.
Aera quis, solem quis putat esse suum ?
Graecia cum fixum Paridi ploravit Achillem,
e numero Tethys pars quotacumque fuit ?
Hectore ter rapto, Priamo plus turba gemebat ;
maluerat nato quisque carere suo.
Quis sibi non patrem raptum aut deplorat amicum ?
Quis non in proprio funere justa facit ?
Plus aliquid Dousae persolvitur. Occidit orbi.
Quilibet ex illo funere vulnus habet.
Vos etiam Dousam, sed ne lugete parentem.
Plus proprio cuivis Dousa parente fuit.